A-XI-42

PAULI VOET, GISB. F.
Juris in Acad. Ultraject. Anteceſſoris,
& Vianenſis Cameræ Senatoris,

De

USU JURIS CIVILIS ET CANONICI

In BELGIO UNITO,

Deque

MORE PROMOVENDI DOCTORES UTRIUSQUE JURIS, &c.

LIBER SINGULARIS.

Loyssiano Biblioth.

BIBLIOT. ACADEM. LAUSAN.
LIBERTÉ PATRIE

ULTRAJECTI,
Ex Officina Johannis à Waesberge
Anno cIɔ Iɔ c

INDEX.

CAPUT I.

QVot modis quis Editor, vel Author, alicujus operis eſſe dicatur? p. 6. ad 13.

CAPUT II.

QVot generum ſint Juris Doctores, ſeu potiùs Anteceſſores; & eorum circa ſtudia inſtituta? p. 13. ad 24.

CAPUT III.

1. DE uſu Theologiæ in Iure; p. 24. ad 36.
2. De uſu Philoſophiæ, p. 36. ad 54.

3. *De uſu* Græcarum litterarum, *p.* 54. *ad* 63.
4. *De uſu* litterarum Latinarum Hiſtoriæ & Antiquitatis, *p.* 63. *ad* 79.

CAPUT IV.

O*Stenditur, non id omne, quod* pleriſque *placet, aut* ætate provectioribus, *eſſe amplectendum, p.* 79. *ad* 84.

CAPUT V.

1. T*Utius eſſe*, certis legibus, *quàm* arbitrio Judicum, *finiri cauſas, p.* 85. *ad* 88.
2. *Quid per* fœderatum Belgium *intelligatur? p.* 88.
3. *Utrum* Jus Canonicum *ibidem vim* legis *obtineat? p.* 89.

4. *Variæ*

4. *Variæ Iuris* Canonici *ſignificationes proponuntur, p.* 90. *ad* 104.
5. *Quid ſit, aliquid* vim legis *obtinere? p.* 104. *ad* 111.
6. *Probatur, jus* Canonicum *vim legis apud nos non obtinere, p.* 111. *ad* 145.
7. *Objectionibus fit ſatis, p.* 145. *ad* 192.
8. *An jus* Civile Romanorum *vim legis habeat in Belgio reformato? p.* 192. *ad* 224.
9. *Objectionibus reſpondetur, p.* 224. *ad* 231.
10. *Quænam poſt jus* Civile *in judicando* ſequi *Iudicem, oporteat? p.* 231. *ad* 239.

C A.

CAPUT VI. & ult.

UTrum *noſtri* juris Doctores propriè *&* ex æquo *I. V. D. D. appellentur? id eſt, tam* Canonici *juris*, *quàm* Civilis? *p.* 239. *& ſeqq.*

Accedit APPENDIX APOLOGETICA ad judicioſum & candidum *Lectorem.*

FINIS.

PRO-

PROOEMIUM.

SUnt, qui nomen habent; ſunt, qui merentur. Illis portum exiſtimationis ſubire facile eſt, quòd qui minùs in diſciplinis exercitati ſunt, ipſos eò delatos eſſe, plenis buccis ebuccinent. *Hiſce difficilis* ad Famæ templum eſt navigatio, quòd adverſo flumine & aurâ malevolorum atque invidorum, eò omni niſu contendant. Ut vel illic ſufficiat, quem eruditum videri: hîc laborandum ſit, ut quiſpiam ſe talem reipsâ præſtet. Ita ſcilicet nonnunquam plus valet quod eſt in opinione, quàm quod obtinet in rei veritate. Ut etiam aliqui docti malint æſtimari & haberi, quàm eſſe; ſimulacro eruditionis nitere, quàm verâ niti eruditione. Perſpiciunt enim, quorundam

gratiâ, externâ ſpecie, ſe ad culmen Sapientiæ elevatos eſſe, ad quod ſuo merito elevari non poterant: & alios odio nonnullorum prægravatos detrudi, qui, ſi non apicem attigerant, ſaltem ad eum adſpirabant, & indefeſſo ſtudio contendebant.

Hæc cùm nonnunquam mecum expenderem; diſpiciebam, quâ ratione in commune quid conferrem, quod non ſpecie tenùs, ſed vi ac poteſtate doctrinam redoleret. Præſertim in hoc laborabam, ut aliquo indicio eruditorum turbæ virorum oſtenderem, me non fucatam, ſed veram eruditionem, ſemper affectâſſe. Id verò non meliore me poſſe modo animadvertebam, quàm ſi eos ſequerer Auctores, (licet non eſſem aſſecuturus) qui, ut multum operæ (tritis & cuivis obviis neglectis) ad opus aliquod conſcribendum attulerunt, ita etiam inter cæteros multum laudis reportârunt. Hoc tamen ſi conarer; me vituperiis aliquorum expoſitum fore, prævidebam.

debam. Neque aliud ſuadebant quorundam mores depravati, qui in tantum non Scriptores laudatiſſimos ſibi ad imitandum proponunt, ut eoſdem potiùs contemnant, repetitionibus, rhapſodiis ac deſcriptionibus eorum, quæ vel centies dictata ſunt, intenti. Undè eveniet, ut, ſi quis non adeò vulgarem, aut non undiquaque facilem materiam, vel libellis, vel theſibus fuerit complexus, ſic ut ad ejus medullam non omnes perveniant, pauci eandem penetrent, in ſe aliquos ſit concitaturus. Quorum alii carpent, quod non capiunt; arrodent, quod ignorant: idque ne cæteris ingenio videantur inferiores. Alii, quorum fortè judicium non eò aſſurgit, aut non ſine magno labore, dolebunt, invidebunt, ſi alium ea facili negotio aſſecutum animadvertant, quæ ipſi nonniſi difficulter. Scilicet ſoli inter cæteros ſapere cupiebant; &, quòd alii, quos depreſſos & ſpretos vellent, non ſpernenda proferant, ringuntur. Ita, ſi fortè

quiſpiam theoricos Juris conceptus theoricè explicuerit; inclamabunt, hæc nihil facere ad farinam, quòd parùm aut nihil lucri indè ſperent in Judiciis. Quòd ſi materiam in Foro utiliſſimam publicè ventilaverit; eam eſſe præter ejus inſtitutum, oggannient: eam non-niſi à Practicis examinari & explicari poſſe, judicabunt. Quaſi illi ſoli Practici, qui in cauſſidicinâ aliquandiu clamoroſo ſtrepitu certârunt: & exercitii Fori prorſùs ſint ignari, qui jura in Academiis publicè profitentur, etiam per aliquot annos Judicum partibus in ſupremis funguntur tribunalibus.

Si quiſpiam in rationes inquirat, cur illi aliorum contemptores eò fortè non aſſurgant, quò alii; adeoque illi invideant, aliis invideatur; hanc non è minimis eſſe, deprehendo. Quòd bene multi, etiam illi, qui inter primos ſalutari volunt, ſolâ paucarum legum, & fortè paucorum ſtatutorum lectione contenti, arcana aliarum Diſciplinarum planè habeant neglectui:

ctui: in tantum etiam, ut potiùs Juris ſtudio cæterarum artium notitias officere cenſeant, quàm ut eas vel minimum adjumenti aut ornamenti adferre, velint.

Quandoquidem verò hoc vitii adeò latè ſerpſit, ut multorum animis altas infixerit radices; non inutilem operam in opuſculi mei frontiſpicio me collocaturum exiſtimavi, ſi, antequam ad ea progrederer, quæ libelli inſcriptio promittit, vice Prologi, de *tribus* agerem. 1. *De variis EDITORIBUS, vel AUCTORIBUS, quorum nomina libri impreſſi præ ſe ferunt.* 2. *De variis DOCTORUM Juris, præſertim ANTECESSORUM, generibus, eorumque requiſitis, ſtudiis & inſtitutis.* 3. *De uſu LINGUARUM, ARTIUM & DISCIPLINARUM in Jure.* Ita enim pravas opiniones ex animis multorum juris epoptarum evellam, inque ejuſdem Facultatis initiatis linguarum, artium & diſciplinarum ſtudia excitabo.

Aut, ſi nihil eorum effectum dedero; ſaltem non prorſùs inutiles lectu Diſſertationes me conſcripſiſſe, judicabunt æqui bonorum conatuum æſtimatores.

CAPUT I.

Quot modis quis EDITOR, *vel* AUCTOR, *alicujus operis eſſe dicatur?*

EJus igitur membri, quod *primum* mihi explicandum propoſueram, aggredior elucidationem. Ubi, dum oculos & animum in *Juris libros* ab Auctoribus editos conjicio; videor mihi non incommodè *quinque AUCTORUM* in ſcribendo genera obſervâſſe.

1. Quorum nonnulli ea tantummodò, quæ ab aliis dicta & dictata fortè millies, ne quidem mutatis mutandis, in unum volumen congerunt. Dumque hâc ratione permul-

multis ignaviæ deditis inſerviunt, iiſque qui nec ingenio nec judicio rectè, quæ legunt, digerunt, niſi ab aliis ſint digeſta ſatis; quid aliud agunt, quàm quòd pontes ſtruant, quos aſini ſuperent. Huc non immeritò retulero librum *Martæ*, Argum. qui inſcribitur DIGESTA JURIS NOVISSIMI; utpote qui §. 4. Proœm. inſtit. nonniſi boni compilatoris functus eſt officio. Cùmque materiarum collectores etiam librorum *compoſitores* appellentur; factum eſt, ùt ſcriptores, qui librum in totum ex aliis conſcripſerunt, nihil de ſuo præter compilationem adjicientes, eundem tanquam à ſe editum ſibi vindicent. Neque alio ſenſu Decemviros *perſcriptas leges compoſuiſſe*, voluit *Pomponius* l. 1. §. 4. de Origin. Juris. Juriſconſultus, quàm quòd eaſdem in unum collectas Romam detulerint. Neque aliter *Papirii* liber JUS CIVILE PAPIRIANUM appellatum fuit, quàm quòd idem ille auctor, *nihil de ſuo adjiciens, leges ſine ordine latas in unum compoſuerit.* Neque ullo

L. 1. § 7. D. eod. jure à *Gnæo Flavio* jus civile FLAVIANUM appellaretur; niſi & is, qui librum evulgat, & denuò eundem publici juris facit, (licet de ſuo nihil adjecerit) libri auctor haberetur.

2. Alii aliorum ſcripta comprobando; pro ſuis venditando, auctoritatem iis accommodando, (licet vel novâ librorum editione, vel veteri ſint contenti) etiam auctores eorum aliquo modo dici merentur. Neque aliter prima DECRETALIUM collectio fertur eſſe *Alexandri*, (cùm fuerit *Lucii*) quàm quòd ab *Alexandro*, uti obſervat *Albericus*, fuerit comprobata, *Ea*, inquit, *prima collectio facta fuit & comprobata tempore Alexandri. Itaque dubitatio, quæ naſcitur, quo modo de Alexandri Decretali dicitur, quæ fuit Lucii, ſic ſolvitur; quia in eâ collectione Alexandri eſt. Et noſtra facimus omnia, quibus noſtram impartimur auctoritatem.* Neque alio ſenſu INSTITUTIONUM IMPERIALIUM collectio Imperatori

L. 3. D. de Auctor. Tutor. Alberic. de libr. jur. Canon. cap. 2, pag. 7. Barboſ. Axiom, p. mihi 246. in verbo *noſtra*.

ratori *Juſtiniano* adſcribitur; quàm quòd eam à *Triboniano, Theophilo, Dorotheo*, confectam, per omnia comprobaverit, atque *pleniſſimum ſuarum conſtitutionum robur accommodaverit.* Neque aliter aliqua *bonorum poſſeſſio* adſcripta fuit juri *Prætorio*; quàm quòd Prætor jus vetus, idque citra ullam emendationem, comprobaverit. Atque hunc in modum JUS CIVILE non tantum eſt, quod à *populo*, aut *civibus*, primò conſtitutum; verùm etiam quod ab iis eſt approbatum, & in civitatem receptum; vel quo (licet alterius civitatis) *populus aliquis utitur.* Sic etenim aliorum dicta & ſcripta comprobata jus erunt, ſi modo, qui ea comprobat, „jus facere poteſt. Quâ ratione „dixit *Albericus*, ſingulorum Ec„cleſiæ Patrum dicta leges non „eſſe, niſi quæ Decretalibus ſunt „expreſsè comprobata. Idem, quod in *famoſis libellis* ſecuti Imperatores; ut non tantùm primi inventores, compoſitores, verùm & editores, divulgatores, quique

§. 6. & 7. Inſtit. Procem. Init. Inſtit. de Bonor. Poſſeſſ. L. 6. D. de Juſt. & jur. §. 1. in medio. & § 2. verſ. *ſic enim & jus*. Inſtit. de jur. Nat. Gent. & Civil. §. 1. Inſt. de Oblig.

Alberic. diſp. jur. Canon. cap. 2. pag. 19.

L. unicâ. Cod. de Famoſ. libell.

iis contenta comprobant, auctoribus annumerarentur: adeoque eidem crimini implicarentur.

De Confirmat. Digeſt. ad Magnum Senat. §. 10. & §. 17. Vid. Duaren. Epiſtol. de Plagiar. ad Balduin.

3. Alii adinſtar apium ex innumeris auctoribus, quod optimum eſt, eligendo, vel etiam ad compendium trahendo, nec quicquam de ſuo ratione materiæ ſuperaddendo, aliam orationis formam, alium ſtylum alienis adaptando, quæcunque ab aliis probè ſunt inventa, ſibi vindicant; quia magis fortè polita, quàm anteà, apparent. Et ita (quod vitium hoc noſtro ſeculo, præſertim inter Jeſuitas, infrequens non eſt) ſuppreſſis auctorum nominibus, è quibus ſua hauſerunt, ea ac ſi noviter à ſe reperta forent, in publicum protrudunt.

4. Alii variorum ſententias examinando, & ad Rationis trutinam expendendo, ſuam promunt opinionem: quodque ab aliis non dictum, non declaratum ſatis, addendo, detrahendo, emendant, adeoque ſuum faciunt. Quo ſenſu ſecundùm Juriſconſultos dictum;

„dum

„ dum aliquid additur & detrahi„ tur juri communi, jus proprium „ eſſe effectum alicujus civitatis, „ quod *civile* appellatur. Neque aliundè peculiare à civili jure ſortitum eſt nomen jus *Prætorium*; quàm quòd illius juris adjuvandi, corrigendi, ſupplendi, gratiâ ſit introductum. Ut meritò Imperator *Juſtinianus* ſuum id eſſe velit, & ex ſuâ voluntate compoſitum, quicquid in PANDECTAS relatum eſt. Quod enim in antiquis legibus vel ſupervacuum, vel imperfectum, vel minùs idoneum fuerat viſum, adjectionem & diminutionem acceperat neceſſariam, & rectiſſimis traditum fuerat regulis.

Init. Inſtit. de Bonor. Poſſeſſ. L. 6. D. de Juſt. & jur. L. 7. D. eod. §. 7. de Concept. Digeſt. §. 10. de Confirm. Dig. ad Senat. Popul.

5. Alii denique non tantùm aliorum inventa congerendo, emendando, ſed & propriis gaudendo, ſuos conatus eruditorum hominum turbæ probare ſtudent. Et licet Juriſconſulto is, *qui non ſubtiliter factum emendat, laudabilior eo videatur eſſe, qui primus invenit*. Illi tamen, meo judicio, ſum-

De Concept. Digeſt. ad Tribon. §. 6. in fin.

Ant. Matthæus Tract. de Auctionibus Epiſtol. ad Lector.

ſummoperè laudandi, qui & ab aliis prætermiſſa ſupplent, confuſè dicta certo ordine digerunt, rationibus firmant, ſuaque inventa & noviter excogitata adjiciunt. Illi enim, & aliquid è latebris haud inutiliter promunt, & quod depromptum eſt perficiunt. Quo nomine multùm commendatus eſt *Labeo* JCtus, ut qui *ingenii qualitate, & fiducià doctrinæ fretus, plurima innovare* (id eſt, nova reperire) *inſtituit*. Et ſuadet Ratio, maximam illis deberi gratiam, qui talem in modum reipublicæ litterariæ conſulunt; eoſque cæteris omnibus, licet non inutilem operam navantibus, eſſe anteponendos. Cùm enim alii laborem, auctoritatem alii, ingenium alii, judicium alii ad ſcribendum adducant; hi poſtremi, & laborem, & auctoritatem, & ingenium, & judicium in commune conferunt.

L. 1. §. 47. D. de Orig. Jur.

CAPUT II.

Quot generum ſint JURIS DOCTORES, *ſeu potiùs* ANTECESSORES; *& eorum circa ſtudia* INSTITUTA?

EXplicui. (quod *primum* erat) quot modis quis EDITOR & AUCTOR operis eſſe dicatur. DOCTORUM JURIS, & quidem ANTECESSORUM, (quod *alterum* erat explicandum) *varia mihi* videor obſervare genera. Quorum *nonnulli*, poſteaquàm juris praxin inchoârunt, ſuo fortè ſenſu in eo conſummatiſſimi, Theoricam juris cognitionem contemptui habent; rati, totius Jurisprudentię caput & fundamentum eſſe, *non ultra formulas*; *ac Doctorum lexica ſapere*, ſecundùm illud vulgatum indoctorum: *Slendria ſit pluris, quàm tota ſcientia juris.* Tales nec quempiam Juriſconſulti nomine dignum autumabunt,

Chriſt. Rodenb. Tract. de jur. conjug. Epiſt. ad Lector.

Pinell. cit. ab Anton. Matth. in Prol. ad Tract. de judic.

judic. & Hunn. ad Treutl. diſp. 1. vol. 1. Theſ. 8. quæſt. 43.

bunt, qui fortè non aliquandiu cum amanuenſibus verſatus fuerit, aut amanuenſis quondam functus ſit officio. Atque ita, dum illi ipſi factis inhærent nimiùm, de jure reſpondendi nullam aptitudinem nanciſcuntur; aut, quam nacti fuerant, amittunt. Undè evenire ſolet, ut ſi fortè de jure ſint rogati, interpretibus à ſe non probè intellectis, vel malè citatis, intenti, in Juris fundamenta primaque elementa impingant. Adeò ut *eos in juris ſcholam reverti* oporteret, *è quâ* (uti loquitur *Cujacius*) *crudiores nimis ſe in Forum immiſerunt.* Et, quod in talibus maximè culpandum, dum praxin multiplicem haud occultè profitentur, (quâ tamen in multis deſtituuntur) adeò ſibi placent, ut cæteros omnes veræ intentos Juriſprudentiæ, fungos & ad munia publica obeunda ineptos eſſe, cenſeant. Qui tamen fortè in Doctoribus utilibus evolvendis plus temporis & ſtudii, quàm ipſi, inſumpſerunt. Qualium mores Thraſonicos, quia accuratè

Cujac. Obſerv. lib. 18. cap. 38.

curatè deſcribit *Cujacius*, & ſalſè perſtringit; non poſſum non aliquot lineas huc tranſcribere: *Sæpe me adierunt*, inquit ille, *Advocati Fori malè, aut parùm in jure verſati, qui ut in Tragœdiis legimus, clamoſi rabioſa fori jurgia vendunt improbi, iras & verba locant, & adierunt per contemptum; atque ita comparati, ut quicquid interrogantibus illis reſponderem de jure, rejicerent, atque damnarent, prolatis ſylveſcentibus in ore eorum conſiliis, opinionibus, deciſionibus Doctorum innumeris, quas ego non minùs, quàm ipſi, contrà, quàm exiſtumabant, multâ nimis diuturnâque lectione triveram; adoleſcentiâ pæne omni meâ in eâ re conſumptâ malè; ac proindè meliùs, quàm ipſi, noveram, quàm minimâ, quàmve maximâ deciſiones illæ Jurisprudentiâ conſtarent. Et vix unquam accidit, quin quæ illi ſcriptis Doctorum prodita affirmabant, ego in medium prolatis eorum libris, vero præſentibus convicerim aut non eſſe, aut aliter eſſe prodita. Sanè,* Cujac. conſult. 23.

cùm

cùm interrogarent, an eſſet hypothecaria actio perſonalis: & ego negarem ex l. Pignoris. Cod. de Pignor. & l. 2. Cod. Si unus ex pluribus Hæred. cred. quæ pignoris vendicationem ait non perſonam obligare, ſed rem ſequi; illi contrà adducebant Doctores multos, qui ſcriberent, actionem hypothecariam eſſe perſonalem, quorum nemo poſtea inventus eſt adeo vacui capitis. Eàdem audaciâ, me negante, affirmabant, omnem actionem de re immobili eſſe realem: veluti, pro ſocio, de pariete communi, vel damni infecti, abutentes Bartoli ſcripto, ad l. 1. Cod. Si adverſ. Tranſ. quod non intelligebant.

Sunt *alii*, qui de rebus majoris momenti parùm, aut nihil ſolliciti, ſe totos vocabulis explicandis dare ſunt conſueti. In tantùm, ut veriùs Grammaticorum Scholæ, quàm ſectis Juriſconſultorum, eſſent annumerandi. *Quid enim agunt illi*, (inquit *Coſtalius*) *quid contendunt, in quo tantopere ſe conficiunt, quòd non ii, qui Grammatici*

Coſtal. in Parerg. p. mihi 81.

matici vocantur, rogantibus præſtare poſſint. In eo *Cælium Antipatrum* imitati, ut qui *plùs eloquentiæ, quàm juris ſcientiæ*, operam dare ſolebat. Tales in tantum veterum formulis inhærent, ut vel negligere judicioſas & utiles malint diviſiones, fortè vocabulis propoſitas non ex antiquitate depromptis, quàm ut vel latum unguem à *Ciceronis* phraſibus receſſum facerent. Haud iis abſimiles, (de quibus alibi *Coſtalius*) *qui convellebant inſitas, & cum re ipſa natas partitiones, hòc ipſo, quòd verba vel novata, vel illorum auribus minùs accommodata eſſent. Denique ea faciebant, ut quotidianam ſine uſu loquacitatem*, &, *ut ait Cicero, de Scholis cantilenam magis inſtruere, quàm Juriſconſultum ad aciem & forum informare viderentur.* Parùm memores illius *Celſi*, qui non eloquentiâ, ſed remediis, morbos curandos eſſe prædicabat. Adeoque ſimilem in modum cauſas laceras non verborum elegantiis, ſed rerum ac ſententia-

L. unic. §. 40. D. de Orig. jur.

Coſtal. Adverſ. Parerg. p. mihi 15. 16.

tentiarum filo reſarciri. Cogitare debuiſſent, ſi ſapere vellent, etiam novis negotiis, quæ indies incidere ſolent, nova nomina applicari quandoque poſſe. *Ut credendum ſit, ipſum Marcum Tullium, ſi hodiernis temporibus interpretandi munus ſubiret, aliter fuiſſe locuturum, atque tum locutus fuit.* Noverat hoc ipſum ſuo tempore *Conſtantinus* Imperator, qui ideò formularum uſum antiquum, vocum atque ſyllabarum aucupium, antiquavit. Noverat id *Juſtinianus*, veteris prudentiæ reformator, qui in tantum non de vocabulis & formulis antiquis fuit ſollicitus, ut eas *antiquis fabulis* annumeraverit. Quid, quòd idem ille, noviſſimi juris conditor, multa ſuis conſtitutionibus inſeruerit vocabula, quæ priſco ævo, vel incognita prorſùs, vel alium in ſenſum recepta fuerunt: qualia ſunt *Brevis*, *Conventiculum*, *Decanus*, *Collectarius*, *Compulſor*, &c. In quibus enumerandis ne actum agere videar, Lectorem ad *Pancirollum* remittã.

Marta Digeſt. Noviſſ. Tit. 3 cap. 1. §. 5.

L. 1. 2. Cod. de Form. Sublat.

§. 3. In ſtit. Procem.

Pancirol. Theſaur. var. lection. lib. 1. cap. 77.

Neque

Neque tamen hæc protuli, quaſi omnem *vocum elegantiam* in exilium pellendam cenſeam; adeoque barbariem intromittendam: ſed, ne tantùm in formulis, aut vocabulis, nobis eſſe laborandum exiſtumaremus. Proboque hâc in parte *Coſtalii* temperamentum, quod adhibet in *Parergis. Ex quibus*, inquit, *non id effici volumus, ut homini Juriſconſulto verborum ſimplicium, aut collocatorum, cura omnis ſit negligenda, quorum notatione ſubindè magnæ & graves controverſiæ terminantur. Sed diligenter expendet id onus, quod ipſe ſibi impoſuerit, ne magis Grammaticum, aut quedam Græculum de Scholà, quàm Juriſconſultum, agere videatur. Summa autem hujus ſententiæ eſt, ut, quoties res poſtulabit, verborum interpretationem non contemnet, ſed ita tamen, ut in ſententiis & arte ipſá omnis ejus cura & diligentia conquieſcat.*

Vid. Viglium Zuichem. cit. ab Anton. Matth. in prol. ad judicia.

Coſtal. Adver. Parerg. pag. mihi, 11.12.

Reperiuntur *alii*, qui parùm de juris & æqui quæſtionibus ſolliciti, quæque Reipublicæ maximam ad-

adferre poſſent utilitatem, toti juris apicibus, adeoque non-receptis ſubtilitatibus operam dant; autumantes, non niſi ad diſputandum jus civile comparatum eſſe, juriſque cautiones ad Gymnaſiorum deambulationes & ſpatia data. Quales in tantum ab uſu Forenſi, & iis quæ in foro quondam utilitatem ſunt allatura, abſtinent, ut poſtulati ne quidem Reipublicæ, atque privatorum cauſis operam ſuam accommodare poſſent; meris ſcilicet innutriti ſpeculationibus. Quibus ſi Forum ſit adeundum, ſe in alium terrarum orbem delatos eſſe putabunt. Id quod *improbandum* eſt quam-maximè.
§. 47. D, de Orig, jur. *Tum*, quia aliter non probè funguntur officio boni Juriſconſulti, qui populo ad reſpondendum parare ſe debent. *Tum* etiam, quia ſeſe deridendos amanuenſibus exponunt, dum ſe verborum in praxi, in foro, receptiſſimorum, ignaros eſſe oſtendunt. Et, ne videar illos iniquè culpare, utar verbis *Antonii Fabri*, qui optimo tempera-

peramento præſcripto, intentos ſolùm argutiis theoricis eum in modum perſtringit, ut non intactos relinquat rudes illos pragmaticos; qui præter dilationum ſormulas, quibus, ut ſutores dentibus alutam, litigatorum cauſas protendunt, addidicerunt nihil. *Quod*, inquit, *de virtutibus verè proditum eſt, præcipuam earum laudem in actione, non in contemplatione conſiſtere, idipſum ſanè de ſcientiis omnibus perindè dici poteſt, ſi eæ excipiantur, quæ contemplatione adeò conſtant, ut actionis penitùs ſint expertes. Neque verò inſulse Doctores iſtos* ἀπράκτους καὶ τῆς πράξεως ἀδαέας *cotibus aſſimilaverim, quæ acuendis gladiis, ut pungere & ſcindere poßint aptißimæ: ad pungendum tamen & ſcindendum ſunt illæ prorſùs inutiles, & inefficaces. Itaque, cùm juris non ſcientiam, ſed prudentiam, dicere ſoleamus; fatebor equidem, jurisperitos eos eſſe, at non æquè prudentes, niſi novo forſitan prudentiæ genere, quæ tota in docendo, dicendoque tantùm,*

Antonius Faber in Præfat. de Error. Pragmat.

tùm, non etiam in agendo, verſetur: In eoque mirandum certè neſcio, an dolendum potiùs ſit, tot ætate noſtrâ præſtantiſſimos Jureconſultos ſibi defuiſſe, qui in tradendâ diſciplinâ, ne Papiniano quidem, ut videbantur, inferiores; ſi quando tamen ad praxin deveniendum fuit, vel de minimâ re interrogati, aut obmutuiſſe, aut tam ineptè reſpondiſſe memorantur, ut rudioribus Pragmaticis ſe præbuerint deridendos. Ridiculi ſanè, qui rem ſcitu non modò facilem, ſed etiam neceſſariam, ob id ſolùm, quòd eam nullo labore vel ab imperito quolibet addiſci poſſe ſcirent, diſcere nunquàm voluerint. Non ſine magno me hercule & Juriſprudentiæ, & totius reipublicæ, detrimento. Indè namque facti audaciores pragmatici, jam alioqui per imperitiam procliviores, quàm par eſſet, ad negligenda ea omnia, quæ ad meram veramque juris ſcientiam pertinent, (ſolâ, ut quidem arbitror, aſſequendæ ejus deſperatione) adeò ſibi placent miſeri, & blandiuntur,

ut

ut quaſi nihil ſcientia conferat ad praxin, illam omninò negligant, hanc unam ſectentur. Quæ res mirum eſt, quantas in tribunalibus lites, ac potiùs tragœdias, excitàrit. Quemadmodùm enim theoria ſine praxi aut nullius, aut perexigui, certè uſûs eſt: ita nihil Reipublicæ perniciosius, quàm ſi per eos, qui jura & res Forenſes tractant, praxis à Theoriâ ſejungatur.

Alii denique, omnibus deſtituti juris adminiculis, ubi ad docendum aut ſcribendum ſe parant, ſi fortè ad fontes ſit recurrendum, hærent. Cùmque vel ratio legis ſit petenda, vel ea ope aliarum Facultatum explicanda; nihil in commune conferre poterunt. Non illi equidem Juriſconſulti, ſed *Legulei*, ut qui diſciplinarum ſubſidiis, ad verum Juriſprudentiæ intellectum neceſſariis, carent. Parùm memores, juris ſtudium, niſi ancillantibus artibus juvetur, ſterile & infœcundum eſſe. Neque quemquam pro dignitate jus profiteri poſſe, niſi qui plerarumque ſcientiarum vel

Argum: l. 39. D. de leg. l. 2. Cod. quæ ſit long. conſuet:

vel aliquem guſtum habuerit, vel earum jecerit fundamenta.

CAPUT III.

1. *De uſu* THEOLOGIÆ *in jure.*
2. *De uſu* PHILOSOPHIÆ.
3. *De uſu* GRÆCARUM LITTERARUM.
4. *De uſu* LITTERARUM LATINARUM, *&* ANTIQUITATIS.

VErùm ut appareat,(quod *tertio* loco examinandum propoſueram) quàm parùm, aut nihil, illi Doctores in jure profecerint, qui nec quicquam præter leges pauciſſimas & compendia didicerunt, paulò operoſiùs demonſtrare conſtitui, quantùm litterarum tam *Græcarum*, quàm *Latinarum*, cæterarumque ſtudia *diſciplinarum*, ad verum juris intellectum conducant. Eoſque demùm vera Juriſprudentiæ lumina fuiſſe oſtendam,

dam, qui Sophiæ ac Muſarum adiverant Sacrarium. Et ex adverſo illos, qui in cæteris omnibus diſciplinis erant hoſpites, ad faſtigium eruditionis devenire non potuiſſe.

Antequam ſigillatim per omnes tranſeam Diſciplinas, generalem proponam rationem, quâ conſtabit, aliqualem omnium Diſciplinarum cognitionem futuro Juriſconſulto (præſertim juris Anteceſſori) neceſſariam eſſe. Varia etenim ex omnibus petita diſciplinis juris corpori ſunt inſerta; ut fieri nequeat, ea occurrentia commodè explicari, niſi quis eas adiverit artes & diſciplinas, (ſaltem in limine ſalutaverit) è quibus, tanquam è fontibus, civilis ſapientia conſtat. Et ne hîc videar meo tantùm gaudere judicio, adſcribam, idque eò lubentiùs, quò magis celebris eſt auctôr, *Claudii Cantiunculæ* verba: *Meliorum*, inquit, *autorum bonam partem evolvendam eſſe futuro Juriſconſulto, non oſcitanter ab iis dictum eſt, qui civilem ſcientiam orbem quendam*

doctrinarum,(qui encyclopædia dicitur) expoſcere putant. Neque id abs re. Nam civilis prudentia quamvis(poſt ſacratiſſimam & veram Theologiam) ars quædam ſit Princeps & Architectonica, non aliter tamen, quàm ſuis comitata pediſſequis, Encyclopædiam illam conſecuta dici poterit. Quare juventus, imò omnis ætas, (neque enim rectæ voluntati ſerum eſt tempus ullum) totis mentibus huc tendat, in hoc elaboret, quò ductum illum ſcientiæ civilis, ex multis diſciplinis conſertum nanciſci valeat.

I. Verùm ut inductione hæc innoteſcant magis, ſingulas peragrabo *Facultates*: & quidem primò facultatem ſupremam THEOLOGICAM; cujus multa egregia & non contemnenda in Jure occurrunt. Quæ, niſi guſtum Theologiæ habeat juriſperitus, explicari, uti par eſt, ab eo non ſatis poterunt. Suſcipiam in gratiam nonnullorum hunc laborem, & ad DECALOGI præcepta revocabo, quæ mihi in jure Theologica occur-

occurrentia enotare viſum fuit.

Ibi occurrunt primitùs, quæ *divinam* ſpectant *unitatem*, quam in Trinitate Chriſtianus orbis veneratur, quæ duarum in *Chriſto* naturarum *unionem*, quæ æterni & unigeniti Dei filii *æternitatem* & *Deitatem*, quæ *ſancti Spiritûs* perſonalitatem diſtinctam à cæteris, uti & *Deitatem*. Etiam eodem titulo examinatur; an liceat, ſeu conveniens ſit, de *fide Catholicâ* diſputare, idque prophanè ac temerariè?

L. 5. & 6. & tot. tit. Cod. de Summ. Trinitat.

L. 4. Cod. eod.

L. 3. Cod. Sacroſ. Eccleſ.

Ad *ſecundum* præceptum refero, quæ ſpectant *modum rite Deum colendi*. Ubi multum diſputatur, de *reliquiis* ſanctorum & martyrum. De ſigni *crucis* veneratione ſuperſtitioſâ. De non-collocandâ cruce in loco prophano. De eâ non inſculpendâ marmori aut ſilici. De adhibendâ cruce in litaniis ſeu ritibus eccleſiaſticis. De *locis ſacratis*, ſeu conſecratis, curâ *ſepulcrorum*, *templorum* dedicatione, &c. De *idolorum* cultu, ejusque ſubverſione. De *Paganorum* ritibus atque

L. 26. Cod. Epiſc. & Cleric.

L. unic. Cod. Ut nemini lic. ſignū.

Novell. 123. c. 31.

Inſtit. Rer. diviſ. §. 7. 8. 9.

Novell. 5. c. 1. l. 8. Cod. de Pagan.

atque ſacrificiis; deque eorum cultui ſuperſtitioſo dicatis. Inſuper de *liberis* propter delicta parentum *puniendis*. De *ſponſoribus*, *fidejuſſoribus*, vel admittendis, vel non-admittendis, in cauſis criminalibus. Ubi & agi poteſt de naturâ *ſatisfactionis Chriſti* pro nobis præſtitæ, adverſus infauſta *Socini* infauſti dogmata. De quibus eruditè & judiciosè *Grotius*; utinam ſic in cæteris!

Ad *tertium* præceptum refero, quæ *jurisjurandi* ſpectant materiam: qualia ſunt, de jurejurando præſtito corporaliter, tactis quatuor euangeliis. De jurejurando præſtito per virginem Mariam, per omnes ſanctos, per ſalutem propriam; per caput. De jurejurando ab idololatrâ per falſos Deos præſtito. De perjurii pœnâ: & an ea Deum tantùm, an etiam homines ultores habeat? De contractu juramento confirmato, ſervando. De ſubditis, hoſtibus, promiſſis, juramento

L.5.Cod. l. Jul. Majeſt. l.1.2.3.4. D.Cuſtod. & Exhib. Reor. l.70.D.de Fidejuſſ. l.12.D.& 4.Cod.de Cuſt. Reor. Auth.Sacramenta puberum Cod. Si adverſ. vendit. Novell.8. l.51. l.3.§.4. l.5. in init. D. de jurejur. l.5 §.11. l D. eod. l.13.§. fin. D. l.2. Cod. tit. eod. l.2. Cod. Si adverſ. vendit. l.1. D. Conſt. Princ. Auth. Epiſcopo. Cod, de Epiſc. & Cler: Auth, multò magis. Cod, eod,

to præſtito, ſervandis. De votis monaſticis, cœlibatûs, obedientiæ, paupertatis, &c.

Quartum præceptum ſpectant diſquiſitiones ſuper *diebus divino cultui deſtinatis.* Ubi quæritur,

Utrum, qui noſter eſt dies domini, ſub Imperatoribus Chriſtianis, communi Eccleſiarum conſenſu ita ſit ſtatutus, ut nihil operis in eo peragere fuerit conceſſum?

Et utrum colligendis ſaltem fructibus eodem die liceat vacare?

Utrum latronibus intercipiendis, & propellendis hoſtibus?

Utrum eo die ceſſare oporteat omnes excubias, & diſciplinam militarem?

Utrum præter dominicum diem, etiam alii feſti dies obſervandi?

Utrum feſtivo quopiam die laxandi ſint carceres, & malefici dimittendi?

L.ult. Cod.de Feriis. l.3.Cod. eod. l.10.Cod. eod. L.3. Cod. Epiſc.Audient. Auth. ſed novo jure. Sed hodie: Cod.de Epiſc. & Cleric. L. 31. Cod. eod. Auth. interdicimus,Cod. eod. Novell. 123.l. 41. Cod.Epiſc. & Cleric. L.2,Cod. eod.

L.14.l. ult. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. L.16. D. de Uſu & Uſufr. legat.. Vid Ritterhuſ.de differ.jur. Civil. & Canon. lib.7.cap. 8.& 9. L.2.§ 1. D. Pollic. L.5.Cod. de Nupt. §.1.Inſtit. eodem. Novell. 18.

Ampliùs prolixè inquiritur in ſacrorum *turbatores*, & quà pœnâ afficiendi? in *ordines* ſacrorum. De *officiis eccleſiaſticorum*, eorumque *privilegiis*. Ut à crimine ambitûs ſint immunes; ne ſint aleatores; ne ſpectaculis dediti; ne percuſſores; ne ſeſe negotiis ſecularibus immiſceant; ut ſint caſti, humiles, in eleemoſynis erogandis largi ac liberales.

Ne dicam, hîc totam examinari poſſe *Eccleſiaſticam Politiam*. Ubi conſiderantur jura *rerum* eccleſiis, aut piis locis, relictarum; jura *Patronatûs*, *Epiſcoporum*, & *Papæ* primatûs, & quem cui præferri oporteat; *Anne Romanum Conſtantinopolitano: an verò hunc illi?* Et infinita alia, de quibus inter Proteſtantes in Germaniâ Juriſconſultos ac Papicolas ad jus Juſtinianæum eſt contentio. Atque hæc ad *primam* tabulam.

Ad *alteram* tabulam propero, Ubi de officiis *proximo* debitis multa inſignia occurrunt. Puta,

Utrum

Utrum vota, non conſentientibus parentibus, licitè ſuſcipiant liberi?

Utrum nuptias licitè contrahant citra conſenſum parentum?

Utrum ille conſenſus ſit de honeſtate tantùm, an etiam de neceſſitate?

L'trum parentes alere teneantur liberos?

Utrum etiam liberos immorigeros & inceſtuoſos?

Utrum liceat filios vendere, exponere, immodicè caſtigare, occidere?

Utrum ab hæreditate, à legitimâ eoſdem repellere?

Et utrum ea liberis debeatur jure naturæ?

De *Magiſtratibus* verò inquiritur:

Utrum oporteat eſſe magiſtratus, & quidem religioni Christianæ non addictos.

Utrum iiſdem etiam perſonæ Eccle-

L.15.D. inoff. Teſtam. L.4.D. Agnoſc. Alend. liber. Nov.89. cap. ult. tit. Cod. de patribus qui fil. diſtrax. L.unic. Cod.de Emend. Propinq. Nov.115. Nov.8. tit.3. D.de Origin. jur. §. 23. l.33. & ſeq.Cod. de Epiſc. & Cler. l.7.l.12. Cod. Hæretic. § 2. Inſtit. Qui ſui. vel alien. jur.

L.13. in init.D.Ad leg.Aquil. L,6, Cod. Unde vi.

L.4. Cod. de legib. L. ex imperfecto. Cod. de Teſtam. Vid. § 9. Inſtit. Exc. tutor. & ibid. Pac. in not.

Eccleſiaſticæ debeant eſſe ſubjectæ?

Utrum in ſubditos habeant jus vitæ neciſque?

Utrum, ſi ſupremi, legibus ſint ſoluti? Sic ut jurijurando non ſint obſtricti, nec contractui cum ſubditis inito?

§.2. Inſt. ad l. Aquil. L.4. D. eod. L.3. §. ult. D. & Cod. Ad l. Cornel. de Sicar. L.8. §. pen. D. Quod Met. cauſ. L.35. D. Religioſ. & ſumpt.

Atque hæc quidem ſpectabant officia *reſpectiva*, in ordine ſcilicet ſuperiorum & inferiorum. Sequuntur ea, quæ proximo debentur *abſolutè*. Et quidem primò, ne cuiquam *noceamus*. Ubi quæritur:

Utrum teneamur benefacere inimicis?

Utrum latronem impunè occidere?

Utrum nocturnum furem?

Utrum ſtuprum alicui intentantem?

Utrum injuriantem?

Utrum patrem patriæ proditorem? &c.

Verùm nolim memet ulteriùs diffundere, quòd longum foret; cùm hîc innumeri caſus juridici oc-

occurrant, non ſine Theologiæ cognitione decidendi. De quibus poſtmodùm ex profeſſo peculiari tractatu ſum acturus: quo & latiùs & accuratiùs examinabuntur, quæ à me conſcripta, cùm eſſem admodùm juvenis, in tractatulo de *Duellis*.

Circa officia erga proximum, quæ in *Caſtitate* conſervandâ conſiſtunt, inquiritur primitùs:

Utrum matrimonium inire omnibus permiſſum?

Utrum liceat habere concubinam?

Utrum plures uxores?

Utrum licitum ad ſecunda vota tranſire?

Utrum matrimonii vinculum diſſolvi poſſit: & propter quas cauſas?

Quæ ſint pœna afficiendi adulteri? Et utrum mitiùs punienda adultera, quàm adulter?

Multaque alia quæ circa *ſtuprum*, *inceſtum* & *nefandum concubitum*, diſquiri poterunt.

Præf. Authent. de Nupt. l. unic. Cod. de Concub. L. nemin. Cod. de inceſt. Nupt. Auth. de Trient. & ſemiſſ. § conſideremus, verſ. *Sicut enim quis.* Novell. 22. c. 22. 40. L. 3. § 1. D. Concub. Tit. Cod. de Repud. l. 30. & Auth. Sed hodie, Cod. Ad l. Jul. de Adult.

Tit. Cod. de Rapt. Cod. de Sacrileg. L. 1. Cod. Sacroſ. Eccleſ. L. 16. Cod. Epiſc. & Cler. tit. de furt. D. & Cod. Thom. 22. q. 77. L. 16. D. de Minor. tot. tit. de Ædil. Edict. L. 22. D. locat. Tot. tit. D. Cod. de Uſur. §. 18. Inſt. Oblig. ex Delict. § 8. Inſtit. eod. Dan. l. 2. & 17. Ethic. Chriſt. §. 16. in fin. Inſtit. de Rer. Diviſ. lib. 2. tit. 27. §. 9. de Uſibus feudor.

Circa officia ratione *bonorum* proximi inquiritur de *Raptu*, de *Sacrilegio*, de *Furto*:

Utrum contrahentes ſe mutuò poſſint in pretio aut merce circumvenire?

Utrum, ſi vitia rei venditæ emptorem celaverit venditor, furtum committat?

Utrum impubes furtum facere ſit dicendus?

Utrum uſura Trapezitarum hodierna furto ſit annumeranda?

Utrum ſi filius paterna bona auferat, committat furtum?

Utrum ſolo affectu, idque ſine ullo effectu ſubſequente, furtum committatur?

Utrum rei minimæ etiam fiat furtum?

Utrum propter ſimplex furtum quis jure capitis puniatur?

Circa officia in rebus id attenditur

ditur, ne proximum *verbis* lædamus. Ubi quæritur:

Utrum mendacii in foro ſoli debeat eſſe pœna?

Utrum mendacium officioſum licitum?

Utrum reus calumnioſe ſe poſſit defendere?

Utrum reus interrogatus, crimen fateri teneatur, adeoque ſemetipſum prodere?

Utrum in probatione deficiens accuſator, ad pœnam talionis ſit obſtrictus?

Utrum quis teneatur dicere teſtimonium?

Utrum ad confirmandam veritatem duorum teſtimonium ſufficiat?

Circa *internas* denique *actiones*, & actionum principia in genere id examinatur:

Utrum cogitationis ulla ſit pœna, ſi non aliquo indicio ſit manifeſtata?

Utrum violentia inferri poſſit voluntati?

§. ult. pen. Inſtit. de Suſp. Tutor. §. ult. Inſtit. de fideic. L. 11. 13. D. Action. Empt. vendit. L. 1. D. de bon. eor. qui ante. Thom. loc. cit. art. 2. & q. 68. art. 4. q. 69. art. 1. 2. tit. 2. D. de Interrog. L. 7. Cod. de Calumn. l 19. D. & Cod. de Teſtib. Thom. loc. cit. q. 70. art. 1. 2. L. 12. D. de Teſt. L. 9. Cod. eod. L. 18. D. de pœn. L. ſaccularii in Princ. D. extraord. crimin. L. & generaliter. D. de Calumniat.

L.21.D. Nupt. Thom.1. 2.q.6.art. 4.art. 7. Tiraqu.de Pœn. Temper. tit 7. Tot.tit.D. Cod.jur. & fact. Ignor.

Utrum concupiſcentia cauſet involuntarium?

Utrum ignorantia, & qualis, conſtituat involuntarium?

Ex quibus omnibus ſpeciminibus, ad ſingula *Decalogi* præcepta datis, ſatis colligitur, quantum adjumenti ſtudium THEOLOGIÆ conferat ad verum Juriſprudentiæ intellectum. Sexcenta alia huc adducere potuiſſem, niſi brevis eſſe voluiſſem, & ex hiſce judicium in multis aliis faciendum relinquere Lectori judicioſo. Qui ſi inſuper cogitaverit, viros Juriſconſultos etiam inſignes fuiſſe Theologos, (quales erant *Durantus*, *Rittershuſius*, *Tholoſanus*, *Carolus Molinæus*, *Innocentius Gentiletus*, *Melchior Goldaſtus*, *Georgius Tradelius*, *Andreas Maſius*, *Henricus Nyſſen*, *Peßelius*, aliique) me vera dixiſſe animadvertet.

II. Transferam memet ad PHILOSOPHIÆ ſtudium. Quæ cùm ſit vel *Practica*, vel *Theorica*; utriuſque maxima in jure cernetur auctoritas.

De

De *Practica* parùm ero ſollicitus; quòd ordo & ratio omnium actionum honeſtarum, adeoque univerſa *moralis* Philoſophia, non tantùm per univerſum jus ſparſa ſit, ſed & *Digeſtorum tit.primo* explicata. Ubi, *divini cultûs* rationem ante omnia ineundam eſſe, oſtenditur; quaſi illi fini ultimo debeantur omnia. Dein *amoris patriæ* atque *parentum*, (quem ordinem verborum ſervandum eſſe docet Ratio) quibus poſt Deum omnia debemus. Denique *noſtri ipſius* amorem conſiderandum eſſe, adeoque noſtræ conſervationis rationem eſſe habendam, non tantùm per *defenſionem*, ſed etiam per alterius *offenſionem*. Verum, quoniam ſi hîc rationibus & exemplis agendum eſſet, totum jus civile, & ſingulæ ejuſdem particulæ forent percurrendæ; malui hîc virorum clariſſimorum autoritatibus certare. Illi ſatis multum in hâc materiâ deſudârunt; ut fruſtrà eſſem, qui hîc quod ipſorum eſt; meum facerem. Potiùs in aliis Philoſo- L.3.4. D. de juſt. & jur.

loſophiæ partibus, de quibus illi minùs fuêre ſolliciti, de meo quid addam.

Teſtimonia itaque virorum inſignium huc lubens adjiciam; idque eò lubentiùs, quòd etiam activæ Philoſophiæ contemtores, (quales ſunt nonnulli moderni Juriſconſulti) & rationibus convincant, & ſale ac aceto ſubindè perfricent. Præmittam auctoritatem viri graviſſimi, quique ante tria vixit ſecula, *Henrici de Bracton*, de legibus Anglicanis ita ſcribentis: *Videndum*, inquit, *cui parti Philoſophiæ hic tractatus ſupponatur.* Et pòſt: *Ethicæ verò ſupponitur, quaſi morali Philoſophiæ; quia tractat de moribus.* Subſequuntur Neoterici, inter quos primum mihi locum vindicabit *Beſoldus*; Qui cùm loco corollarii propoſuiſſet: *Faciliùs jure Juſtinianeo, quàm veriori Philoſophiâ, carere poſſe juriſconſultum*, varia inſignium Autorum, huc ſpectantia adducit teſtimonia. Profert *Bolognetum* ita diſſerentem: *Certè, ſi concedimus*

Henric. de Bracton. de leg. & conſuet. Angl. l. 1. de rer. diviſ. c. 2.

eum,

eum, qui leges condat, moralem Philoſophum eſſe oportere; idem cogemur & de Jureconſultis affirmare, qui leges conditas interpretantur. Quomodò enim hoc interpretandi munus præſtarent; aut quomodò iis in rebus, quæ fortè non omni ex parte legibus expreſſæ eſſent, (cujuſmodi paßim multa reperiuntur) veroſimilem Legiſlatoris mentem aſſequerentur, ſi ea ignorarent, quæ ad mores, ad vitæ inſtitutum, & ad Reipublicæ gubernandæ rationem ſpectant, & quæ ipſum Legiſlatorem in condendis legibus pro oculis habuiſſe, inficiari non poſſumus? Conſentit *Oldendorpius*, etiam à *Beſoldo* citatus: *Ex ſocietate publicà, ſeu Politicà,* inquit, *veluti fonte, oſtendendum eſſet Studioſis, quomodò propter communicationem rerum introducti ſint omnes contractus, omnia commercia, omnes actiones: Quomodò item ad cöercendos malos, exerceantur accuſationes & publica judicia: totius denique juris ſanctio non ſpectet aliò, quàm ad conſer-* Oldendorp. Claſſ. 4. Act. 21.

ſervandam inter homines naturæ ſocietatem. Sed vix eam agnoſcimus; adeò noſtros ſequimur corruptos diſputandi affectus in explicando jure. Cui *Frederici Tilemanni* teſtimonium quadrat: *Plerique*, inquit, *non ſui ſunt in diſputationibus, totique ab alieno arbitrio pendent; in explicationibus legum tantùm ſciunt, quod legerunt apud Bartolum, Duarenum, &c. Quos ſi penitiùs evolverent; bene intelligerent, fontes eſſe inſpiciendos. Imò ipſæ leges Politico judicio dijudicandæ. Nempe principia cognoſcenda ſunt, eaque prima; quibus ſubnixi veteres Nomothetæ, de jure reſponderunt, Activæ Philoſophiæ ſcientiſſimi. Rectiùs faciunt, qui ex ipſiſſimis Politicæ & Juriſprudentiæ principiis, legum noſtrarum rationale deducunt: eaque una & facillima eſt juridici ſtudii methodus, quam pauci ingrediuntur. Cordati certè omnes apprimè illud Tullii probant, 2. de Orat. quo diſſuadet faciliora, aut ſimilia tradi in artibus; quia*

Tilem. in præf. diſc. Phil. il. de Hiſtor. delectu.

quia hæc, cognitis difficillimis, ultrò obveniunt: maluntque ſe experiri in principiis intricatioribus, quàm compreſſis manibus ſedere, & forinſecùs legalem prudentiam intueri. Cui conſonum illud *Vultei: Sine quibus autem, inquit, jus ſatis commodè diſci nequit, omnes ſunt Philoſophiæ partes; cum primis autem Ethica, quæ juris quædam principia proponit: tum verò potiſſimùm Logica, & in hàc ea, quæ ad diſſerendi rationē ſpectat.* Et pòſt: *Atque Dialectica quidem huc afferenda eſt, aut certe adhuc addiſcenda.* Neque prætereundus mihi videbatur *Sutholt*; qui, quantum ad Juriſprudentiam faciat Activæ Philoſophiæ ſtudium, his verbis demonſtrat: *Quòd ſi, inquit, uti natura quotidie deproperat novas edere formas, in Foro tales occurrant caſus, quos nunquam viderit, vel fando acceperit ullus Juris conſultorum, neque ulla unquam viderit curia; hìc aqua hærebit rabulis forenſibus: at cultioribus Juriſconſultis in promptu erit remedium,*

Vult. in Prolegom. ad Juriſprud. Romanam:

medium. Ad fontes, unde omne jus civile emanavit, recurrent; ex genuinis aut ſaltem non uſquequaque diſſimilibus cauſis, litem dirimert: & quid æquum ſit, quid iniquum, indicabunt. Quin & , ubi de legis jam latæ ſententia dubii quid oboritur, ad eandem civilem Philoſophiam, ad principia practica, in quibus recondita eſt & abdita cujuſque legis ratio, tanquam ad lydium lapidem res venit examinanda. *Unde per mihi mirum ſemper viſum eſt, eos, qui juri civili ſeſe vel tradiderunt, vel tradituri aliquando ſunt, Philoſophiam activam vel neglectam prorſùs habere, vel timidè, tanquam ad aliquem libidinis ſcopulum, ſic ſuam mentem ad eam appellere, ac, ritu canis è Nilo bibentis, delibare & fugere. Hi, ubi rebus agendis admoventur; non ex æquitate, non ex naturæ lege, non ex publico civitatis & Reipublicæ bono cauſas decidunt, negotia tranſigunt: ſed in tenebris palpitant, natant alìubi atque aliubi apparent, prout tulit ventus.* Et pòſt: *Vobis verò,* (loqui-

Bernard. Sutholt. Orat. de juriſpr. cum act. Philoſ. jung.

(loquitur Auditoribus) *qui ad juris civilis ſtudium voſmet applicâſtis, multis aliis nominibus hæc Philoſophia moralis ſolicitiùs & diligentiùs eſt addiſcenda. Si enim de irrogandis pœnis, quæ juris noſtri portio eſt haud minima, incidat controverſia; in hanc Philoſophiæ partem te debes penetrare, quæ ſola docet, quæ ſint humanarum actionum principia? volens quis, nec ne; conſilio, an caſu, quid fecerit? Quid frequentius in foro iſtâ diſputatione: utrum ignorantia, furor, ebrietas, iracundia, aliave vehemens animi paſſio, peccatum minuat, adeoque pœnam mitiget, quod metu promittitur, utrum obliget, quis cui poſſit facere delicti gratiam? an, & quando, adhibenda ſit humanior juris interpretatio, prædura & ſtricto jure neglecto? quando verborum & literarum laxandæ anguſtiæ? De quibus tamen quæſtionibus nihilo judicabit rectius Philoſophiæ practicæ ignarus, quàm cæcus de coloribus. Quinimò univerſa de juſtitiâ & jure, de jure naturali*

rali & gentium tractatio, adeò eſt Philoſophi moralis, ut ſi is interdicto cum Juriſconſultis contendere, aut eos ex jure manu conſertà vocare velit; non poſſint, quin fateantur, precariò ſe eam partem poſſidere, & quicquid de ea dicunt, Philoſophis debere.

Theorica ſupereſt Philoſophia. Quæ cùm varias contineat Diſciplinas, ſingularum uſum non contemnendum in Jure dari, ex ſequentibus perſpicuum erit.

E *matheſeos* partibus in jure deſumpta nonnulla occurrunt, ſine aliquali Mathematum cognitione non intelligenda. Qualia ſunt, quæ ſpectant *ſervitutes urbanorum prædiorum*, ubi agitur de luminibus officiendis, per ædium aut parietis demolitionem, ſi fortè κατ' ἀντανάκλασιν, id eſt, *per refractionem, ſeu repercuſſionem, vel preſſuram quandam, lumen in eas ædes devolvatur.* Ubi in tranſitu obſervandum, malè in *d. l. reflexionem* (ſic enim ibi legendum foret,) appellari *refractionem.* Ne-

l. 17. §. 2. D. de Serv. Præd. Urbanor.

que

que enim hoc deſignat vocabulum Græcum ἀντανάκλασις: licet refracti-onem intimè penetranti ea videri poſſit eſſe ſpecies quædam, vel modus, reflexionis. Uti id i-pſum publicâ diſputatione docebit Frater mihi dilectus *M. Daniel Voet*, Med. Doct. & Philoſ. hujusque in Academiâ Ultrajectinâ Pro-feſſor. Huc etiam refero, quæ de *aquâ* è Caſtello ducendâ, per *arcus*, *lapides*, *fiſtulas*, *cuniculos*, in legibus Civilibus traduntur. Etjam qui caſus, reſpiciunt *hæreditarias portiones*, *agri menſuram*; ubi agitur de *computo*, de *falſo modo* renuntiato, de *errore calculi*, & quæ ſunt hujus generis alia.

Tot. tit. de Aquâ ex aquâ pluv. Tit. D. de Cloac. L. 1. l. 7. §. 4. D. Si menſ. falſ. mod. §. 14. Inſtit. de inutil. ſtipul. §. 22. Inſt. de Rer. div. Diſp. mea de Inſularum gener. & una de Quæſtione: *quando moriens moriatur?*

Nec minores rerum *Phyſicarum* in legibus occurrunt difficultates, quæ, nonniſi rerum naturalium cognitione adhibitâ, deciduntur. Ita quæritur:

Utrum momentum, CUM MORIAR, morti, an vitæ, ſit adnumerandum?

Utrum Inſulæ tam in mari, quàm fluminibus generentur,

tur, & quibus modis?

Quas difficultates peculiaribus Diſputationibus me alibi explicuiſſe memini. Ulteriùs quæritur.

Utrum Hermaphroditus ſexui maſculino, an fæminino, ſit annumerandus?

l.10.D. Stat.hom. L.12.D. eod. L.3.D.Si pars hæredit. pet. L.76.D. judic. Barboſ. axiom. p. mihi 98.

Utrum partus ſeptimeſtris, undecimeſtris, ſit legitimus?

Utrum octimeſtris, ſit vitalis?

Quot liberos uno tempore quandoque enitatur mulier?

Utrum unus idemque numero dici poßit, qui puer olim, jam ſenex eſt.

Utrum ars imitetur naturam, an natura artem?

Ne huc inſpargam omnes illas quæſtiones *Medicolegales*; de quibus *Caranza*, & *Zacchias* medicus Romanus, videndi & adeundi.

Verùm hîc fortè pauciſſimos obloquentes offendam. Sed, quid ſi dixero, juriſconſultum ne quidem vacuum eſſe oportere aliquali *primæ Philoſophiæ* cognitione. Hîc vel nullus mihi ex Leguleis, ſtudium

um Metaphyſicum faſtidientibus, quòd eorum captum ſuperet, ſuffragabitur: Id tamen veriſſimum eſſe, evidenter demonſtrant *axiomata, diſtinctiones, quæſtiones* in Juris Corpore occurrentes. *Axiomata* non enumerabo, ne actum agerem; cùm id ipſum prolixè ante me egerit *Barboſa*, *Cubachius* aliique. Præſertim in loco de *cauſa, toto, genere, ſpecie*; eadem ibidem Lector benevolus offendet, quæ à Metaphyſicis in Scholis traduntur, Ne addam *Gregorium Tholoſanum*, qui in opere Univerſali omnes terminos Metaphyſicos reſponſis Juriſconſultorum illuſtravit.

Vas Bar. boſ. Princ. & loc. comm. Cubachii Brocar. dica. Tholoſ. comm. Synt. Artis Mir.

Diſtinctiones, quæ in Jure reperiuntur, ſunt variæ. 1. Quòd oporteat, conſiderari rei *materiale* & *formale*, quæ omnium diſtinctionum latiſſimè patens, in Metaphyſicis utramque facit paginam. Sic enim actio *rerum amotarum* dicitur *famoſa*; non quòd talis ſit formaliter, verùm tantùm *materialiter*: uti loquuntur Doctores. 2. Quòd res, prout variè conſiderantur,

Zoes. D. jurejur. n. 21.

L. 15. §. & ſi veſtimento.

rum D u. ſufr. tantur, etiam diverſo jure cenſeri debeant. Ita notum, *veſtimenta* vel quaſi-uſu fructui, vel vero annumerari poſſe, ſi vel ſicut *quantitates*, vel ſicut *corpora* conſiderentur.

L.9.§. pen.D.U-ſufr. quemad, Cav.

Quod ſpectat *quæſtiones*; innumeras, ſi lubitum eſſet, recenſerem: & quidem illis inexplicabiles, qui ne quidem terminorum Metaphyſicorum hauſerunt aliqualem cognitionem. Pauciſſimas tantùm proponam, ex quibus, tanquam *ex ungue leonem*, de cæteris judicium fieri poterit. Tales ſunt:

L.6.D. Quod cujuſqueU-niverſ. nom. Ad l. 28. circa fin. D.judic. Ad l.2.D. Reb. credit. Salmaſ. pecul. libell. Cyprian. Regn. contra eundem. Zoeſ. D. rebus Cred.n. 7.l.23.D.

Utrum una eademque res diverſo jure cenſeri poßit? Adeoque perſona pro vario reſpectu aliquid poſſit, vel non poßit?

Utrum futura, antequam fiant, naturâ ſint certa?

Utrum in mutuo verſetur quantitas, an corpus?

Utrum quantitas, ſine corpore poſſit conſiderari? Et utrum hoc caſu locus ſit abſtractioni præciſivæ, an negativæ: uti in Scholis loquun-

quuntur.

Utrum genus unquam perire poſſit, & quid per genus intelligatur?

Utrum, & quæ, ſint poſſibilia & impoſſibilia per naturam?

Utrum, & quotuplex, aliquid ſit infinitum.

Utrum negativæ facti, vel juris, per rerum naturam ulla dari poſſit probatio?

Quas difficultates alibi ex profeſſo ſecundum rationem examinavi.

Utrum repugnet unius rei uno eodemque tempore duos eſſe Dominos in ſolidum?

Quam difficultatem pro argumenti difficultate non mihi fortè explicuerit Legulejus, licet perplurimas leges ad unguem callueriт. Neque ſatisfecerit, ſi leges, quæ invicem adverſari videntur, ad concordiam redegerit. Non enim hîc quæritur, quid ſtatuerint, aut non ſtatuerint, Jureconſulti,

verb. *Oblig. Axiom.* Barboſ. p. mihi. 185.

§. 10. Inſt. Hæred. Inſt.

§. 4. Inſtit. eod.

§. 11. Inſtit. inut. ſtipul.

l. 2. 5. D. Probat.

l. 23. Cod. eod.

Ego in meâ Primâ Philoſophiâ Reform. vid. Ind. ib. in *Poſſeſſ.* & *Neg.*

Barboſ. in verb. *negatio.*

L. 5. D. Commod.

L. 3. D. Uti poſſid.

qui hîc fortè diſſentiunt: ſed *quid in rei veritate obtineat?* Alia, alia hîc ſunt examinanda & excutienda, ad quæ non aſſurgit Leguleji judicium. Quinimò, ſi rem rectâ viâ reputaverimus, & in ſubtili verâque ratione examinaverimus; ſtatuendum erit, *duos poſſe unius ejuſdemque rei eſſe dominos in ſolidum, eodem dominii genere, idque aliquo; adeoque uno eodemque, temporis momento.* Quod ne videar in vanum aſſeruiſſe; hanc unam impingam *rationem*. Quia nemo plus juris in aliquem transferre poteſt, quàm ipſe habet; firmiter colligitur, nec quempiam in alium dominium transferre, niſi quod ipſe habeat. Cùm verò *donans* habeat dominium in eo momento, quo illud transfert: etiam *donatarius* illud habeat in eo momento, quo illud accipit: &, dum transfert ille, in hunc illud transfertur, adeoque communicatur; ſequitur, uno eodemque momento, & quidem primo tranſlationis, utrumque fuiſſe dominum ejuſdem

dem rei, & quidem in ſolidum. Rationem hanc non amplificabo; intelligenti enim ea per ſe ſatis innoteſcet. Quique ejus ulteriorem cupit elucidationem; adeat *Arriagam* in Thomam, cujus locum in margine notare volui.

Arriaga Tract. de juſt. Dei in Thomam, quæſt. 21. diſp. 30. Q. *Vtrum duo poſſ. eſſe dom. in ſol.*

Sed, ne videar in hiſce nimiùm prolixus; amandabo Juris ſtudioſos ad *Guiljelmi Onciaci* quæſtiones Juridico-Philoſophicas, Quibus omnibus ſi ea jungantur, quę ad *Logices* ſtudium referri debent; (qualia ſunt, quæ ſpectant docendi juris *Methodum*, ab Imperatore *Juſtiniano* ſecundùm artem Logicam præſcriptam; legum explicandarum rationem, ſecundùm regulas Logicas, diſticho vulgato è legibus deſumpto, comprehenſam;

Præmitto, ſcindo, ſummo, caſumque figuro,
Perlego, do cauſas, connoto & objicio.

Qualia inſuper ſunt, quæ ſpectant explicationem *propoſitionum* diſjunctarum, conjunctarum,

§. 2. Inſt. de juſt. & jur. § ult. Inſt. de Publ. jud. L. 1. D. Orig. jur. §. 2, l. 1. D. Reg. jur. L. 15. Cod. Tranſ. L. 21. D. Teſt. milit. L. 27. D. qui teſtam. L. 17. D. leg. L. 2. §. 15. Cod. vet. jur. Enucleando,

negatarum, affirmatarum, univerſalium, indefinitarum, pro comperto habebitur, nullam Philoſophiæ partem Juriſconſulto intactam eſſe relinquendam.

Arum. Tom. 3. diſc. Acad. de jur. Publ. diſc. 3. theſ. 1. l. F.

Verùm quæ hactenùs dicta, antiquorum exemplis Juriſconſultorum illuſtranda magis. Qui admodùm ſtudioſè Philoſophicis Diſciplinis incubuerunt, ne ſine fructu, aut leges interpretarentur, aut ſtudium legum profiterentur *Labeonem* hôc nomine commendat *Pomponius*; quòd non tantùm legum eſſet peritus, ſed *etiam cæteris operis Sapientiæ operam dediſſet*. Neque quicquam tentare, emendare, *corrigere* auſus fuiſſet, (quod eſt in *illa lege innovare*) niſi *plurimùm ſtudiis operam dando*, (id eſt, *Ethicæ & Politicæ*, uti hoc interpretatur *Pacius*) cum ſtudioſis eſſe maluiſſet, libriſque conſcribendis vacare, quàm conſulatus honorem ſibi ab *Auguſto* delatum, amplecti. Etiam *Servium Sulpitium*, qui ante *Labeonem* vixerat, clarum reddidit inſigne opus

L. 1. §. 47. D. de Orig. jur.

Pacius Iſag. digeſt. tit. de Orig. jur.

pus, quo omnium primus Juris diſciplinæ artem adhibuit. Neque hoc antea tentârunt, licet magni nominis Juriſconſulti, *Scævola*, *Aquilius Gallus*, aliique. Idque non aliâ de causâ, quàm quòd ipſe *Servius* adoleſcens Eloquentiæ atque Philoſophiæ operam dediſſet, antequam ad Juris ſtudium properaret. Atque ita ſuo exemplo eam ſtudiorum methodum propoſuit, quàm poſtmodùm Imperator *Juſtinianus*, lege latâ, ſervari voluit; ut ſcilicet ſtudioſi *profundioris ſcientiæ* (id eſt, *Philoſophiæ*, uti id interpretantur) *arcana rimentur*, antequam ad Themidis ſacrarium admittantur. Noverat enim illos, qui Philoſophi non eſſent, ſi jura tradere vellent; meram tradituros eſſe confuſionem. Neque alia ratio dari poteſt, cur inconcinnè *Feudales conſuetudines* fuerint traditæ, niſi quòd Conſules Mediolanenſes, operis architecti Diſciplinarum adminiculis deſtituerentur. Et certè, niſi antiqui illi Juriſconſulti Philoſophiæ alia-

L. unic. Cod. de ſtud liber. Urb. Rom.

Gothofr. Oecon. jur. feud. p. 305.

Panciroll. Theſaur. var. lect. lib. 1. c. 80. rumque Diſciplinarum periti fuiſſent; non interpretari potuiſſent multa jura, ab *Ariſtotele, Platone*, aliiſque mutuata. Quid? quòd ideò non tantùm Juriſconſulti, ſed & juris *Conditores*, honori duxerint, Philoſophorum nominibus inſigniri: tantum abeſt, ut ad Philoſophi nomen erubuerint. Ita *Sempronius* Σοφὸς, *Sophus*, & *Attilius Sapiens* appellatus eſt. Et Princeps *Philo Sophiæ plenus* dicitur, etiam φιλοσοφώτατος, quod Latinè *Philoſophiſſimus*. Quorum omnium parùm memores nonnulli moderni Doctores, Philoſophi nomen futuro Juriſconſulto potiùs obeſſe, quàm prodeſſe, judicarent.

L. 2. §. 37. D. Orig. jur. L. 11. Cod. quibus ut Indign. L. ult. Cod. Repud. Novell. 22. cap. 19.

III. Verùm, relictis *facultatibus* & *artibus* ad LINGUARUM ſtudia propero, & quidem ad GRÆCÆ linguæ cognitionem, quam adeo Juriſconſulto neceſſariam eſſe, ex dicendis conſtabit, ut eâ ignoratâ, eum in errores plurimos incidere oporteat. Quò magis deplorandi ſunt noſtri ſeculi mores, quo

quo non tantùm reperiuntur juris Doctores, ſed (pudet dicere) etiam Anteceſſores; qui, ſi fortè quædam juris loca illis interpretanda proponerentur, cum *Accurſio*, aliis Gloſſographis, eò recurrerent: *Hæc Græca ſunt, quæ nec legi, nec intelligi poſſunt; ut jure merito debeant præteriri.* Aut, ſi fortè Græca nonnulla legere, quamvis ægrè, poſſent; ex illorum eſſent numero; qui, uti alibi loquitur *Cujacius*, ad vocabuli intellectum *petito ex vulgaribus lexicis ignavo præſidio*, non tamen genuinum ſenſum Græcarum conſtitutionum aſſequi valerent. Cujac. obſerv. lib. 18. cap. 38.

An igitur ignorant iſti boni, Græcos primitùs in jus noſtrum, à *Juſtiniano* digeſtum, Scholia conſcripſiſſe? Cùmque ab Occidente in Orientem tranſlatum eſſet Imperium, Conſtantinopolis, ut & Beryti in Phœniciâ, jus civile Græcè interpretari cœptum fuiſſe? Et nullibi Latinè, niſi Romæ; cùm tantùm in locis tribus enumeratis jus publicè docere fuerit permiſ- Fabius Paul. in Orat. de Græc. litt.

 ſum.

cum latin. conjung.

ſum. An ignorant, multas Principum Græcorum conſtitutiones in Oriente conſcriptas in *Codice* noſtro jradiare? *Juſtiniani* novellas conſtitutiones (quas etiam *Authenticas* vocant) Græcè primùm editas fuiſſe? Ut, niſi cum *Haloandri* latinâ interpretatione meliori (quòd primitùs barbarè in Latinum verſæ eſſent) iterum editæ fuiſſent, intellectæ non eſſent? *Pandectas* inſuper *Florentinas* integras Græcè conſcriptas eſſe; & etiamnùm in Pandectis quibus utimur, innumera & reſcripta, & reſponſa, & ſententias, & vocabula Græca occurrere? Qualis eſt pars litterarum *Hadriani* Principis; deprecatio *Eudæmonis* ad *Antoninum* Imperatorem; lex *Solonis* de finibus regundis Athenis lata; *Theophraſti* ſententia de numero liberorum, & ejuſdem de legibus in caſibus raris non ferendis, *Demoſthenis* & *Chryſippi* legis definitiones. Præter innumeras ſententias & formulas, quæ in materiâ *Teſtamentorum* & *Legatorum* occurrunt.

L. 7. 48. D. de judic.
L. 9. D. ad leg. Rhod. de jact.
L ult. D. Fin. Regund.
L. 3. circa fin. D. Si pars hæred. Petat.
L. 3. & 6. D. de legib.
L. 2. D. eod.

currunt. Quid? quòd multarum vocum Latinarum vim & efficaciam non aſſequeremur, niſi Græca probè cognita haberemus. Occurrunt enim perplurima in *Inſtitutionibus*, in *Pandectis*, vocabula, quæ ſignificationem latinorum explicant; ut quæ aliter non intelligerentur. Ita Juriſconſulti *manifeſtum* dicunt *furem*, quem Græci ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ appellant. Ita *telum*, quod Græci βέλος appellare ſolent. Et paſſim, dum agunt de *verborum ſignificationibus*, ad Græca vocabula, ut quæ majorem habent efficaciam, recurrunt. Ita *Labeo*, *opere*, locato conducto, his verbis id opus ſignificari ait, quod Græci ἀποτέλεσμα vocant; (non ἔργον) id eſt, ex opere facto corpus aliquod perfectum. Idem *contractum* definit, *ultrò citròque obligationem*, quod Græci συνάλλαγμα vocant. Et *Cajus* per *novalem* intelligere dicitur terram præciſam, quæ anno ceſſavit, quam Græci νέαχιν dicunt. Neque ab *Ulpiano* aliter definitur *ſtragula veſtis*,

L. 37. D. leg 3. L. 34. D. leg. 2. L. 88. D. eod.

§. 3. Inſt. Furt. §. 5. Inſt. publ. jud.

L. 5. D. verb. ſignif.

L. 19. D. eod.

L. 30. D. eod.

L. 45. D eod.

quàm quòd ſit omne pallium πεϱίϛϱωμα. Et ſcribit *Paulus* quibuſdam *pellicem* eam vocari, quàm παλλάκην Græci vocant. Et alibi ſcribit, eas *uvas*, quas non vini cauſa haberemus, vocari Græcis τρωσίμυς. Et *Ulpianus* eam vult eſſe *cavillationem*, quam Græci σωρίτlw appellaverunt. Et *Pomponius* eum vult *incolam*, quem Græci πάροικον; eum *advenam*, quem ἄποικον appellant. Ne hoc addam, etiam ad exemplum Græci ſermonis, nonnulla in Jure vocabula eſſe uſurpata; ſic ut ſine illo hæc commodè percipi nequeant. Ita *GLANDIS appellatione omnis fructus continetur*, (ut *Javolenus* ait) *exemplo Græci ſermonis, apud quos omnes aliorum ſpecies* ἀκρόδρυα *appellantur.* Sic exemplo Græci ſermonis *venenum* tam *bonum*, quàm *malum* ſignificat; quia idem, quod φάρμακον. Et *Telum*, id omne apud Latinos, quod *in longinquum mittitur*, Græcâ voce figuratum ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. Et *pueri* appellatione *puella* continetur,

L. 164. D. eod.

L. 205. D. eod.

L. 177. D. eod.

L. 239. D. eod.

Gajus in l. 236. D. eod.

L. ead.

L. 233. D. eod.

tinetur, quòd Græcè παιδίον communiter appelletur. Neque *Ulpiano* mulierem edidiſſe *INÆQUALEM viſu, vel vagitu, novum, non humanæ figuræ, ſed alterius magis animalis, quàm hominis, partum*, dici poterat, niſi *inæqualem* ad exemplum Græci ſermonis acceperit, quem illi appellant ἄποιον, id eſt, *ſine ullâ qualitate*. Ne hoc addam, quòd permultæ *rubricæ Codicis* Græcæ, quod Latinè exprimi non poſſent, parum mutatis litteris Latinè proferantur: quales ſunt, de *Apochis*, de *Sitocomiæ* munere, de *Logographis*, *Irenarchis*, de *Gunæciariis*, & *Baſtagariis*, de *Chartopratis*, de *Metropoli*, *Metrocomiâ*, *Limitrophis*, *Emphiteuſi*, de *Tamiacis*, de *Archiatris*, *Epidemeticis*, &c. Accedit, quòd multarum quæſtionum in jure difficilium veram deciſionem non aſſequeremur, niſi literis Græcis eſſemus imbuti. Quid ſi enim ex Jure noviſſimo (cujus conſtitutiones, unâ fortè atque alterâ exceptâ, Græcè conſcriptæ) ſit

L. 163. D. eod.

Lib. 10. Cod. tit. 22. 27. 69. 75. Libr. 11. Cod. tit. 7. 17. 21. 55. 59. 61. 68. Lib. 22. Cod. tit. 13. 41.

ſit decidendus caſus? Exempli gratiâ, in quæſtione:

An Monachi teſtamentum rumpatur per Monachiſmum?

An per ingreſſum religionis purgetur ingratitudo?

An Teſtamentum, in quo filius eſt exhæredatus ſine juſtâ cauſâ, ſit ipſo jure nullum?

An filius de Peculio Adventitio, cujus habet etiam uſumfructum, poſſit teſtari?

An rectè ſecundùm Accurſium ad nuptias legibus interdictas, referenda ſit, Novell. 11. *an potiùs ad nuptias naturæ contrarias?*

Ecce, ubi non ſatis eſt clara verſio; annon ratio vult, ad Græcum textum recurrendum eſſe pro interpretatione? Verùm ampliùs: quid ſi pro argumento adducatur, aut objiciatur textus deſumptus ex *Novellis* conſtitutionibus, 166. 167.

Novell. 143. Ad Auth. *ſi qua mulier.* Cod. Sacroſ. Eccleſ. Viglius tit. quibus mod. Teſt. inf. n. 6. Ad Novell. 5. Alber. diſp. libr. jur. Civ. p. 56. Ad Novell. 115. Cap. 3. 4. in fin. Ad Novell. 117. §. 1. Cujac. ad Novell. 11. in init.

167. & 168. quæ quidem Græcè editæ ſunt, non tamen verſæ in Latinum? Quid hîc reſpondebunt juris Anteceſſores, in Græcis minùs verſati? An ſecundum verſionem Latinam? Verùm ea nulla eſt. An ex textu Græco? Verùm nec eum fortè probè legent; tantum abeſt, ut intelligant. An ex iis, quæ in vulgatis codicibus leguntur? verùm ibi tantùm occurrit Epitome iſtarum Novellarum, & leguntur hæc verba: *hæc eſt ferè ſententia hujus conſtitutionis.* Ut indè nihil certi inferri poſſit. Ibi tales hærere oportebit, & eorum oculis, judicio, videre, qui Græca bona ſubindè in mala Latina, aut malè tranſtulerunt. Quòd ſi ipſi ſermonis Græci imperiti non fuiſſent, nec unquam alterius fide ſapere cogerentur. Ut taceam Romanam Juriſprudentiam ſine litteris Græcis illuſtrari non poſſe; quòd uti Romani ſuam ſapientiam hauſerunt à Græcis, ita & leges pleraſque à Græcis petiverint. Undè etiam ad exemplum juris

Cujac. ad dict. Novell.

L. 1. §. 4. D. de Orig. juris. §. 3. §. 10. Inſtit. jur. Nat. Gent. & Civil.

Græcorum, ſuum jus partiti fuerunt. Ut unum alterius auxilio juvari poſſit, & debeat. Quòd ſi non moveant allatæ rationes; movebunt ſaltē exempla. Tales ignari eſſe non debebunt, viros doctiſſimos *Budæum*, *Alciatum*, *Antonium Auguſtinum*, *Viglium Zuichemium*, *Briſſonium*, *Cujacium*, *Hottomannum*, civilem ſcientiam Græcis litteris adhibitis illuſtrâſſe & excoluiſſe. Quod, niſi ante nos præſtitiſſent Herculei laboris viri: adeoque illud Augiæ ſtabulum repurgâſſent; per Doctores illos, Græcarum litterarum imperitos, non ſtaret, quò minùs hodierno tempore quibuſdam *Accurſii*, aliorum barbarorum explodendis gloſſis uteremur. Ut meritò ſcribat *Contius*: *Peſſimè*, inquit, *mihi videntur de nobis omnibus mereri, qui, cùm Græca habeant, vel Baſilicôn, vel Nomocanonis exemplaria, & cætera ad jus pertinentia, ſuppreſſis Græcis, ſuas futiles & indoctas tranſlationes duntaxat edunt; quò minùs eorum fœdiſſima*

ma pleraque peccata, ex Græcorum collatione coargui poſſent.

Ne enumerem alios viros Juriſconſultos, qui inter cæteros caput extulerunt: quòd Græcas litteras civili junxerint ſapientiæ, quales ſunt, præter *Budæum*, *Pacius*, *Leonclavius*, *Ritterſhuſius*, *H. Grotius*, *Cunæus*. Et, ne procul abeam, inter poſtremos eminet *Georgius Ratallerus*, Curiæ Provincialis Trajectinæ Præſes, qui *Sophoclis* Tragici in verſus latinos traductione, ſuam eruditionem hâc in parte celebravit.

Verùm ad *LITTERARUM*, *HISTORIÆ* & *ANTIQUITATIS* ſtudium propero. De quo id verbo dixero, neminem bonum eſſe poſſe Juriſconſultum, niſi etjam in iis ſit verſatus. Undè & illi demum, qui litteris Latinis & ſtudio Antiquitatum imbuti; inter Juriſconſultorum præclarorum numerum recepti fuerunt. Hôcque nomine laudata ſunt, præter Doctores enumeratos, *Rævardi*, *Baronis*, *Alexandri ab Alexandro*, *Heral-* IV.

Heraldi, *Pancirolli*, *Pithæi*, *Salmuthi*, nomina, qui omni barbarie à Juris ſtudio pulſâ, id priſtino nitori reſtituerunt. Ne dicam, pleraque juris loca à nobis commodè explicari non poſſè, niſi illa ſtudia perſpecta forent. Præſertim, cùm niſi antiquā Juriſprudentiam cum novâ contuleris, hanc non probè cognitam habeas. Hoc ipſū etiam noverat Imperator *Juſtinianus*, qui ut ſuo exemplo nos hortatur ad *Poëtarum* & *Hiſtoricorum* lectionē, ita potiſſimùm nobis commendat ſtudiū *antiquitatis*. Ut mirari non ſatis poſſim, nonnullos ad jus docendum nonnunquàm admoveri, qui tamen in hiſtoriâ Romanâ, in antiquitatibus, adeò rudes, ut vel ipſum *Accurſium* ſuperarent. Quales protſùs immemores ſunt ex antiquorum ſcriptis collecta eſſe juris elementa; adeoque ad eorum intellectum eò recurri oportere, undè ſuerant deſumpta.

Init. Inſtit. de Teſtam. Argum. init. Inſt. qui ſui, vel alien. jur. §. 2. Inſt. empt. vend. §. 5. Inſt. Public. jud. §. 5. Inſtit. Proœm. §. 6. Inſtit. Proœm.

Verùm ut conſtet, quantum Juris ſtudio nonnulli peſſimo more adſerant detrimenti; *Muretum*,

poli-

politioris litteraturæ amatorem, loquentem introducam, qui, in Oratione ante Pandectarum explicationem habitâ, ſuorum curſum ſtudiorum deſcribens, in ſe ipſo, & ita haud occultè in aliis Leguleis, pravam ſtudendi methodum perſtringit. *Ego*, inquit, *ut primùm puer Grammaticorum & Rhetoricorum præceptis viſus ſum, utcunque imbutus, leviter guſtatis Dialecticæ principiis, cæteris autem Philoſophiæ partibus ne à limine quidem ſalutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentiâ, nullo rerum uſu, nullâ antiquitatis cognitione inſtructus, animum ad jus civile appuli; & iis Doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi: Jamque eò proceſſeram, ut quæ tum præcipuè laudes habebantur, & in argumentando ſatis acutus, & in reſpondendo non incautus, & quàcunque de re ageretur, abundè loquax eſſem: &, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno ſpiritu citare,*

Muret. Orat. 15. de ſtudior. curſ. p. mihi 162.

citare, multorum interpretum nomina recenſere, multos verſus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, periſtylia, & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa poſſem. Cùm ipſe me eo nomine circumſpiciebam, meque pulchrum ac beatum putabam, tum uno ore omnes (ut ait Comicus) omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui tantulâ ætate tantam mihi, ut ipſi putabant, ſapientiæ; ut res ipſa docuit, ſtultitiæ & inanium ſupellectilem, comparâſſem. Jam omnes me mei foro & cancellis & ſubſelliis deſtinabant: magnamque in ſpem venerant, rabulam me aliquem non in poſtremis fore, confidentem, acrem, contentioſum; præſertim cùm & naturâ eſſem firmis lateribus, & voce magnâ, & quod caput eſt, illi me, quos dixi, magiſtri, ſi non multùm ſapere, at certè quod apud eos pro eodem erat, multùm audere, multumque clamare, docuiſſent. Quid verbo opus eſt? Inibi jam erat, ut illud vitæ genus

nus ingrederer, cùm Deus (Deus enim fuit: neque hoc mihi ex animo excuti poteſt) Deus igitur effecit, ut quædam Budæi & Alciati & aliorum ejuſdem notæ hominum ſcripta, quæ nunquam ante illud tempus adſpexeram, in manus meas venirent. Quæ cùm evolvere cœpiſſem, paſſimque in eis multa reperirem, quæ de magiſtris meis nunquam audiſſem, multas ſententias, quas illi me ratas ac firmas eſſe docuiſſent, graviſſimis argumentis convulſas, labefactatas, multa ex Græcis ſcriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebræ eſſent: nolite quærere, quid mihi animi fuerit. Viſus mihi ſum de cælo decidiſſe: aut in alium quendam orbem delatus eſſe: neque aliter affectus ſum, quàm egeni & inopes homines interdùm ſolent, qui cùm totam noctem ſomniàrunt ſe divites repentè factos eſſe, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectàrunt, experrecti, omnia domi ſuæ obtenta telis ara-

nearum

nearum vident. Quid facerem? ego ille paulò antè tumidus & ferox, cùm mihi derepentè vultus; animus, verba cecidiſſent: jamque ſuffuſus pudore, verecundarer inter eos verſari, qui de me ita magnificè ſenſerant: ſubduxi me clanculùm ex illis, in quibus diu merueram, caſtris, & in Græciam navigavi: id eſt, ad Græcarum literarum & Diſciplinarum magiſtros me contuli: eâdemque operâ perluſtravi etiam vetus illud Latium: id eſt, omnes ad unum veteres linguæ latinæ ſcriptores diligenter & accuratè pervolutavi, ſedulò undecunque omnia colligens, quibus mihi Juriſprudentia inſtructior & ornatior fieri poſſe videretur. Atque in hâc peregrinatione, tum in Lycæi ambulationibus, tum in Academiæ ſpatiis, ſæpè me exercui.

Loco citato p. 166.

Et paulò pòſt. *Planè ſi ad eos audiendos* (loquitur de *juris Profeſſoribus*, qui in arduarum quæſtionum tractatione verſantur) *ii tantùm accederent, quos oporteret, id eſt qui priùs in Grammaticorum,* *Rhe-*

Rhetoricorum & Philoſophorum Scholis diu multumque exercitati eſſent: nihil ampliùs, quàm quod ipſi cumulatiſſimè præſtant, requireretur. Nunc, quod ego me principio feciſſe dixi, ut ad jus audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie à pleriſque peccetur. Iiſdem *Mureti* verbis copioſè deſcriptis conqueritur *Berneggerus*, ſuper hodiernâ ſtudiorum methodo, hancque potiſſimùm eſſe rationem cenſet, quòd tam pauci ad veram ſolidamque eruditionem perveniant. *Nec abs re eſt*, inquit, *quòd eruditorum penuriam inde hodie exiſtere putatur, cùm ſtudiorum illi gradus arroganter atque ſuperbè deſpiciantur: & adoleſcentuli ſtatim, ut in publicam ſcholam venerunt, in ſacra, in jura, in medicinam, illotis manibus, pedibuſque, prohibente nemine, prorumpunt.* Et alibi idem ille querelas eruditorum de ſe ipſis introducit: *Sane*, inquit, *non paucos homines doctiſſimos audire eſt, amiſſos*

Berneg. ger. Orat. 3. de doctr. parand. ration. p. 94. 95. 96. & pòſt. p. 98.

amiſſos moleſtiſſimè annos laboremque inutilem exprobatione ſe veriſſimâ repoſcentes, & cum animis ſuis ſæpe multùmque dolentes, quòd juſto illo ſtudiorum ordine, quaſi per gradus, ad altiora non fuère deducti, ſed confusè perturbatéque olim inſtituti: qui poſtea tamen incredibili labore ſuo tandem eò pervenerunt; quò ludibundi ferme perveniſſent, ſi tantum bonum illis contigiſſet. Neque aliter evenire poſſe mihi perſuaſum habeo, quàm ut multorum ſtudia hâc ratione conturbentur, & neglectis artibus famulantibus tales ruinam minentur illi Facultati, cui Principi operam dare deſtinârunt. Non aliter enim atque corpus humanum, niſi benè ſit præparatum, digerendis cibis aptum non eſt; ſed, quod aſſumit, in ejuſdem vergit perniciem: ita, quicquid è ſuperiore Facultate haurimus, niſi animus noſter Diſciplinarum cognitione antea probè fuerit imbutus, in corruptelam cedit. Scilicet facultates principes in nobis

munus

munus non exercent, niſi & miniſtræ probè ſint diſpoſitæ. Neque id utilitatis, quod redundare poſſet, è Diſciplinâ redundat ſuperiore, dum famulantium diſciplinarum miniſterio nullus ampliùs locus eſt relictus.

Atque ita dixi non tantùm, ſed etiam demonſtravi ſatis luculenter, Juriſprudentiam ſine aliarum adminiculo diſciplinarum, à me enumeratarum, conſiſtere non poſſe. Vereor tamen ut quippiam profecerim; cùm ad jus audiendum nonnunquam proſiliant aliarum omnium artium adeo rudes, ut ne quidem terminos in ſcholis uſitatiſſimos percipere valeant. Neque id maximoperè mirandum; cùm etiam Doctores nonnulli reperiantur, qui neglectâ Græciâ, Latio, Academiâ, Stoâ, Lycæo, interpretationibus ab *Ulpiano*, *Paulo*, *Gaio*, non intelligendis, ſi reſurgerent; vocabuliſque ſeculo barbarico excogitatis, forum non tantùm, ſed & pulpita replent. Et licet illi, ſi verum dicere liceat,

liceat, paſſim ſuam prodant ignorantiam, ſi non turpitudinem: nonnullorum tamen judicio, qui gratiæ locum faciunt, *ſoli juris cognitione* (uti loquitur *Muretus*) *impletum habent pectus; in conſultationibus, in foris, in ſubſelliis regnant, in omnium majoris momenti controverſiarum diſceptatione ac dijudicatione dominantur.* Digni habiti, qui de quorumcunque ingenio, captu, ſtudiorum progreſſu, judicium ferant.

Muret. Orat. 17. de Offic. Doct.

Verùm tales fortè in adverſum hæc & alia multa oggannient. Fieri non poterit, ut inſignis Juris cognitio cum aliarum Diſciplinarum, ut & linguæ Græcæ, non contemnendâ peritiâ jungatur. Quemadmodùm enim *difficile eſt ut unus homo, duorum vicem ſuſtineat*, ex mente *Pauli*, JCti: ita unâ ſede locari non poterunt, quæ maximè ἀσύςατα eſſe cenſentur. Verùm *reſpondeo.* Illi exemplis talium Juriſconſultorum nos deſtitutos eſſe cenſent (de iis, qui in *Græcis* & *Latinitate* inſignes eſſent,

L. 9. D. Pact.

ſent, antea egi) qui, cum eſſent Juriſconſulti celebres, & in *Philoſophicis*, ut & *Theologicis* fuerint verſatiſſimi. Quid igitur replicabunt, ſi *Speculatorem*, *Guiljelmum Durantum*, in medium protulerim, qui maximus in ſuâ ſuperſtitione, Theologus pariter atque Juriſconſultus, annum ætatis trigeſimum haud multum egreſſus defunctus eſt? Quid ſi *Covarruziam* laudem, quem juris utriuſque, ut & Papalis Theologiæ peritiſſimum, non Papani tantùm, ſed & quotquot reformati Juriſconſulti ejuſdem ſcripta evolvunt, fateri coguntur? Quid ſi *Gregorium Tholoſanum* in medium proferam, quem in omnibus artibus, univerſâ Philoſophiâ, Theologiâ atque Medicinâ, ut & Græcâ atque Orientalibus linguis optimè verſatum fuiſſe, ſatis indicat ejus *Syntagma juris*; *Syntaxis artis mirabilis*, cum adjecto *commentario*, opere verè mirabili. Neque tamen quiſpiam negare audebit, quin, cùm in utroque jure ſatis multa edide-

 rit,

rit, diuque publici munere Profeſſoris ſit functus, utriuſque juris fuerit peritiſſimus. Ut de *Julio Pacio* nihil dicam, quem ut celeberrimum fuiſſe Juriſconſultum, fateri cogimur: ita Philoſophum conſummatiſſimum fuiſſe, docent ejus ſcripta in Ariſtotelem edita. Ut prætercam *Joh. Thomam Freigium*, *Hieronymum Treutlerum*, *Deſſelium*, & piæ memoriæ *Anton. Matthæum*, qui moralem Philoſophiam Harderovici per aliquot annos docuerat. Cùm igitur Juriſconſulti ſuperiori, ut & noſtro ſeculo, extiterint, qui cæteras diſciplinas juris ſtudio non ſine fructu junxerint; quid eſt, quòd id fieri non poſſe, conqueramur? *Cùm idem hic vertatur* (inquit *Wouwerus*) *temporum ordo minimè immutatus, Sol eundem curſum, ſolitaque ſpatia ſidera conficiant; ab omni ratione alienum videbitur, adſerere velle, non produci homines ſimili cum antiquis genio.* Et alibi: *Etenim non tam abjectè*, inquit, *de ingeniis noſtris*

Wouwer. de Polymathiâ, c, 30.

judi-

judicandum, quaſi antiquorum laudem & gloriam æquare non poſſent. Si qui reperiantur, qui ſic judicent; undiquaque *peſsimos* illos, imò *ineptos* & *ignavos* eſſe, prædicaverim. Aut enim penes eoſdem virium eſt defectus, aut voluntatis diſſenſus: Si enim cum iiſdem, qui ante nos fuerunt, paria facere poſſent, (id eſt, omni Diſciplinarum generi, eſſe intenti) idque nolint, idque fieri poſſe negent: ſi, quod nequeunt peragere, id alios poſſe negent, adeoque ad ſui trutinam ingenii de aliorum judicent ingeniis; *peſſimi* meritò nuncupabuntur. Præterquam quòd *inepti* ſint; utpote qui ſine judicio vel ex omni ligno Mercurium exſculpi poſſe, vel è nullo poſſe fieri, judicant. Etiam *ignavi*, ut qui difficultate territi, aliorum induſtriam carpunt, dum ipſi ad altiora non aſſurgunt. Et, (quod peſſimo videmus fieri more atque exemplo) quod nonnulli de ſuo non fieri poſſe cenſent, id etiam ex alieno fieri poſſe negant: cumque ad na-

turæ regulam artes metiri debuiſſent, eaſdem ad ſuum captum examinant. Quid ſi illi fortè ad comparandas Diſciplinas ancillantes, ſibi videantur inidonei; ideone alter minùs aptus erit? Quaſi verò, ſi nonnullorum pedibus calceus eſt inconveniens; ideo fortè alterius pedibus ſit minùs conveniens futurus. Oportuiſſet, tales rectè calculum cum Naturâ ponere: non alienâ, verum ſuâ; quid humeri ferre queant, quidve recuſent? Neque aliorum laboribus ſuâ ignaviâ, aliorum ingeniis ſuo infirmo, parere præjudicium. Lata in uno negotio ſententia, ad aliud trahenda non eſt, neque quod adverſus unum decernitur, alteri præjudicat. Adeoque etiam injurium eſt, *ſuam negligentiam ad alienam injuriam referre.* Certè, ſi iſti Juriſconſulti, qui omnes ſuo menſurant captu, in adoleſcentiâ, ſervatâ methodo, Diſciplinis gradatim operam dediſſent; eas juris cognitioni jungi poſſe, non negâſſent: jam, quia facti provectiores, diffi-

L. 21. D. Infam. L. 3. in init. D. Tranſ.

difficultatem experiuntur; eam ſuperari non poſſe, autumant, quia de ſe ipſis deſperant. Adjiciam datæ ſolutioni verba *Bernhardi Sutholt*, qui eos adeo ad vivum delineavit, etiam, ut merentur, cenſurâ notavit, ut nemo meliùs. *Sunt leguleı, inquit, juris non antiſtites, ſed inſtitores; qui, licet omnis ſolidæ eruditionis ſint inanes, ubivis fermè tenere regnum, ſoli in Principum aulis, in Regum Palatiis gerere dictaturam, ſoli ad clavum ſedere Reipublicæ, ſoli juſtitiæ ſacerdotes, rerum divinarum & humanarum arbitri ſalutari amant: cumque non tam juſtitiæ, quàm litigandi vias calleant; inſultant inſuper iis, qui cum ſolidâ juris ſcientiâ Philoſophiæ & literarum cognitionem conjunxerunt; famam eorum, quod poſſunt, elevant, inſcitiæ eos ſane quàm licenter paſſim reos agunt, adeptæ juris ſcientiæ laudem detrahunt, in ſcholas aut locum aliquem ſolum, tanquam in piſtrinum compingunt; Philoſophos eſſe clamitant, perin-*

B. Sutholt in Orat. de jur. cum Act. Phil. jung.

de ac ſi Philoſophum juris ignarum eſſe; aut qui Juriſconſultus ſit, eundem naturæ & humanitati bellum indixiſſe, ingenio, ſapientiæ & ſuadæ renunciâſſe neceſſum ſit. Ariſtoteles adverſus eos diſputans, quibus uxor loco ancillæ eſt, negat quicquam à natura factum, quod pluribus poſſit unum deſervire uſibus ad inſtar gladii Delphici: ita & hi, quos dixi, minorum gentium Jureconſulti, cum ipſi illotis manibus ad Themidos ſacra acceſſerint, negant, naturam admittere, ut in eundem & Philoſophiæ & Juris cadat cognitio.

Aſt fortè *inſtabit* ignavorum atq; deſidioſorū aliquis patronus. Ut ut poſſibile fortè ſit, ſcientiæ civilis ductum, ex multis conſertū Diſciplinis, quem nanciſci: id tamen indè conſequetur, ut, ſi eodem tempore ancillantes artes, quas civilis Prudentia ſibi ſuffectas habet, percipere velit, confundatur animus, atque fatigetur, tot diſciplinis in diverſum tendentibus. Verùm *reſpondeo* ad hanc

ἐνςα-

ἐνςῶσιν, non meis, ſed *Claudii Cantiunculæ*, Juriſconſulti celeberrimi verbis. Negant quidam, „ad tot diſciplinas in diverſum „tendentes, nec mentem, nec „corpus, nec diem ſufficere. *Sed cur etiam non negant, poſſe agricolas arva ſimul & vineta & oleas & arbuſta colere, pratis & pecoribus & hortis & alvearibus curam accommodare? Cur, pari argumento non refragantur, ſi quis dicat ſe aliquid forenſibus negotiis, aliquid deſideriis amicorum, aliquid rationibus domeſticis, aliquid curæ corporis, nonnihil voluptatibus quotidiè dare? Quarum tamen nos una res quælibet, nihil intermittentes, fatigaret.*

CAPUT IV.

Oſtenditur, non omne, quod pleriſque placet, aut ætate provectioribus, eſſe amplectendum.

ATque ita paulò prolixiùs, quàm decreveram,

 in

in *Præludiis* hæſi; quò, ſi fieri poſſet, illud vitium, quod nonnullorum pectoribus infixum quantum nimium eſt, evellerem. Propero ad enodationem *duarum* quæſtionum, quæ de *JURE CANONICO*, de *Juris Canonici DOCTORIBUS*, nonnullas continent difficultates. Quas eò cenſeo explicatu eſſe difficiliores, quò firmiùs præſumpta in adverſum opinio pectoribus multorum inſedit.

Quales in limine hunc in modum meis conatibus in adverſum ituros, opinabar. Æquum non eſſe, ut hactenus laudati & recepti mores vellicentur, & quidem ab eo, qui præterquàm quòd non adeò provectæ ſit ætatis, etiam non debeat ſuam auctoritatem multitudini hunc morem (de quo poſtmodum) approbanti opponere. Verùm talibus (antequam rem ipſam rectâ viâ reputem) verbo *reſpondebo*; me nolle, aut pluribus, aut me peritioribus, hâc meâ Diſſertatione vel minimum eſſe præjudicatum.

tum, Tantùm, quid mihi hâc in parte videatur, quidve æquum ſit, quidve Rationi conſentaneum, publico ſcripto exprimere decrevi, idque citra cujuſquam offenſionem. Sicubi aberrâſſe videri poſſem; *doceant me benignè qui doctiores ex Antonini dicto; & oſtendant, quid non animadverterim.* Peccatum tantum non eſt, etiam ubi peccatum eſt, ſi modò quis à judicioſis ſe moneri facilè patiatur, atque revocari. *Favendum ſcilicet delictis eorum,* majores *arbitrabantur, quos ingenii amore lapſos conſtaret. Quanto enim hi proniores errori, tanto paratior iis apud omnes venia, & ignoſcendi ſtudium, eſſe debet.* Quòd ſi nonnulli vel lapſos erigere nolint, vel non lapſos emendare nequeant; ne indignentur, quòd ego & meo utar ſenſu, qui eos ſuo gaudere judicio, non ægrè ſum laturus. Spero tamen, quinimò confido, pleroſque Juriſconſultos, qui meas rationes penſitaverint, idem mecum judicaturos. Neque ægrè

Imper. Antonin. in vitâ ſuâ libr. 10, n. 4.

Wouwer. tract. Polym c. 1.

laturos, ſi quam ſententiam variâ lectione viri periti hactenùs non explicârunt, ipſe primitùs ex profeſſo confirmare decreverim. Neque enim, quia ex provectioribus & peritioribus nemo hactenus exſtitit, qui quam tueor ſententiam, non ab aliis inventam, hauſtam, corraſam, probaverit, vituperio dignus cenſebor. Quin potiùs veniam apud æquos rerum æſtimatores impetrabo, ſi ad ea attendero, quæ alii ante me neglexerunt. Si enim primis rerum inventoribus præmia debeantur; ſaltem me, quòd primitùs ſententiam indeciſam ſecundùm veritatem explicuero, extra culpam conſtituendum eſſe arbitrarer. Quicquid ſit; modò, quod ſtatuo, Rationi & legi ſit conſentaneum, nec moror annotum ſeriem, nec auctoritatem. *Julianus* Juriſconſultus, provectioris licet ætatis, non erubuit, rejectis aliorum ſententiis, adoleſcentis *Nervæ* opinionem amplecti. Et nonnunquam Imperatores per paucorum judicium pluri-

L.91.§.3. D. verb. obl.

plurium deciſionibus prætulerunt. Nam (ut inquit *Juſtinianus*) „unius fortè & deterioris ſententia poteſt & multas & majores in „aliquâ parte ſuperare. Quam etjam regulam in conſtitutione quâdam ſecutus, duorum *Papiniani* ac *Juliani* ſententiam amplexus fuit, rejecto trium Juriſconſultorum, *Marcelli*, *Celſi*, & *Ulpiani* reſponſo. Non etiam autoritati hîc ſtandum eſſe, putaverim: cùm veritatem nemo promoveat, ſi non etiam ratione juvetur, quantumvis magnæ ſit exiſtimationis. A Judice ſuperiori non ſemper exſpectatur, quod optimum: cùm & illi in indagatione veritatis quandoque præferatur inferior. Nec, ubicunque forte inter diſcipulum & magiſtrum contentio eſt, hujus perpetuò judicium alteri in judicando veritatis erit norma: cùm quandoque licuerit diſcipulo magiſtri ſententiam reformare, meliorem amplectendo; & abſurdum videri non debeat, quod majus eſt, filium nonnunquam emendare patrem.

L. 1. §. *ſed neque.* Cod. vet. jur, Enucl.

L. 10. Cod. in. deb cond. L. 26. §. pen. D. eod.

L. 5. Cod. offic Rector. Provinc.

L 19 §. 2. D Arbitr. L. 3. §. 7. D. Cond. cauſ. dat.

Ut non, ubicunque de eo, quod æquum, quodve Rationi conſentaneum eſt, diſputari ſolet, illius perpetuò præferatur opinio, qui ut ætate provectior, juniori ſe prælatum velit.

Eapropter, quotquot hæc mea legerint, rogatos volui, ne vel Doctorum numero, vel prætextu auctoritatis ſe abduci patiantur, oculis in uniformem directis veritatem. Hæc ſi fecerint, non eſt, quòd mihi, aut meo libello, metuam; ut qui veritati per omnia litare decreverim.

CAPUT V.

1 *Tutius eſſe*, CERTIS LEGIBUS, *quàm* ARBITRIO JUDICUM, *finiri cauſas.*

2 *Quid per* FOEDERATUM BELGIUM *intelligatur?*

3 *Utrum* JUS CANONICUM *ibi vim legis obtineat?*

4 *Variæ juris* CANONICI *ſignificationes proponuntur.*

5 *Quid*

5 *Quid ſit, aliquid VIM LEGIS obtinere?*

6 *Probatur, Jus CANONICUM vim legis apud nos non obtinere.*

7 *Objectionibus ſit ſatis.*

8 *An Jus CIVILE ROMANORUM vim legis habeat in Belgio reformato?*

9 *Objectionibus reſpondetur.*

10 *Quænam poſt jus civile in judicando ſequi Judicem, oporteat?*

QUamvis antiquiſſimis apud Gentes temporibus voluntas jubentis certa jura anteceſſerit; (cùm legibus civilibus regnum fuerit antiquius) Nationeſque ſine certis formulis, ſolo Magiſtratûs arbitrio, quondam regerentur; & Populus, nullis obſtrictus legibus, arbitria Principum pro legibus acceptaret. In tantum etiam, ut longè poſt Aſſyriorum Monarchiam, Græcorum dominationem, I.

Juſtin. lib. 1. in init. Livius libr. 3. L. 1. §. 1. & 3. D. Orig. jur. Cujac. D. eod.

Romana reſpublica ad annos circiter trecentos, ſine legibus fuerit gubernata, etiam ſæpiſſimè incerto magis jure & conſuetudine & *manu* (uti loquitur *Pomponius*) quàm latâ lege, fuerit uſa. Si tamen rem penitius intueamur; ſtatuendum erit, nullũ Reipublicæ ſtatum optimè regi poſſe, niſi qui ſecundũ certa atque determinata jura regi cœptus eſt: neque rectè procedere negotia, cum vel Principis voluntati, vel eorum arbitrio, qui judicia exercent, omnia committuntur. Id enim ſi obtineat; nec præmeditatè ſatis; nec ſine ſuſpicione, invidiâ, querelis, maledictis; nec ſine temerariâ mutatione judicabitur. Hoc ſi eveniat; quantâ malorum ſegete Tribunalia cumulabuntur? nihil tam ſacrum, tam æquum erit, quod non in gratiam amicorum violabitur: & id omne juſtum cenſebitur, quod clientis loculis redimi poterit. Rationem legis tum ſupplebit licentia, ipſam legem libido, atque ad paucorum opinationes & commenta

Juſtinian. de conf. Dig. ad Senat. & Popul. §. 17. Beſold. oper. Polit. diſſ. 2. de Præm. & pœn. cap. 6. Pezel. ad Melancht. de leg. Polit. p. mihi 64. in 8.

menta omnia figi, refigi, debebunt. Cum igitur nihil tutius ſit, nihil conducibilius, quàm certum in quâcunque Republicâ jus eſſe, ſecundùm quod conſtanter, ſemotis affectibus, judicium feratur; quodque, ut habet vim & auctoritatem legis, judicum officio non tollatur, ſed ad uſum humanæ ſocietatis accommodetur. Et unaquæque Reſpublica peculiarem ab aliâ & diverſum habeat regiminis modum, quam *formam* appellamus: (cùm Gentis morumque temperamenti varietas etiam requirat adminiſtrandi diverſam rationem, cujuſque Nationis genio accommodatam) Etiam, quod in unâ Gente ut juſtum receptum eſt, ab alterâ tanquam injuſtum repudietur; ſic ut quiſque populus peculiares ſibi præſcripſerit leges, conſtitutiones, ad quas in cauſis & quæſtionibus decidendis Judicem recurrere velit. Et, quod inhabitamus, *Belgium fœderatum*, patriam dulciſſimam, templis Juſtitiæ, ſi ulla Reſpublica, ſit repletum;

L. 1. §. 4. D. Orig. jur.
L. 1. §. 13. D. eod.

tum;

tum; diſpiciendum erit, *Quid in illo BELGIO FOEDERATO, ſeu in ditionibus confœderatarum Provinciarum, vim legis obtineat?*

II. Dum loquor de *FOEDERATIS PROVINCIIS*; non eaſdem intelligo, uti quondam Principibus ſuberant, aut Papali affixæ erant auctoritati, aut ſaltem Pontificum addictæ ſuperſtitionibus. Verùm eas deſigno, quæ libertatis avitæ defendendi gratiâ fœdus inter ſeſe contra communem tunc hoſtem, ineuntes, (à quo fœdere *fœderatæ* dictæ: uti ab unione ſancitâ *Unitæ*:) poſtmodùm, ejuratâ Tyrannide Hiſpanicâ, ejuratâ Papali factione, Hiſpano ampliùs parere jure detrectârunt.

Unio Ultraj. Ann. 1579. artic. 1. & 2. Merul. de ſtat. Reip. Batav. Zypæus jur. Pont. novi Anal. tit. de Sponſ. & Matr. n. 16.

Suntque ejus conditionis *Provinciæ* 7. Ducatus *Geldriæ*, cui *Zutphaniæ* Comitatus annumeratur; Comitatus alii duo, *Hollandiæ* ac *Zelandiæ*; Dominia quatuor, *Friſiæ*, *Ultrajecti*, *Tranſiſulaniæ* & *Groningæ* ditio. Quibus accedunt quædam *Flandriæ*, *Brabantiæ*,

Hoofts *Nederlantſche Hiſtor.* 14. Boek. p. 609. 615. Anonym. comment. de ſtat. Fœder. Provinc. in init.

bantiæ, aliæque etiam *Germanici* imperii partes, armis legitimis expugnatæ. Ut & utriuſque *Indiæ*, aliaque in *novo Orbe* occupata loca, quæ veluti appendices Provinciarum, communi earundem jure utuntur.

De hiſce itaque *Provinciis* loquor, dum inquiro; *quænam JURA in earum dicaſteriis habeant locum?* In quâ quæſtione ſequenti methodo progrediar: ut primitus removeam illa; *quæ LEGUM vim apud nos non obtinent.* Dein proponam, *quænam JURA in judicando Judices ex officio ſequi teneantur.*

Ex nonnullorum ſenſu videntur CANONES in noſtris Provinciis *juris* auctoritatem obtinere. Verùm, ſalvo illorum judicio, ſic ſtatuo; *Jus CANONICUM in fœderatis Provinciis vim LEGIS non habere.* Senſus & veritas hujus poſitionis, *partim* terminorũ explicatione, *partim* etiam argumentis, & auctori- III.

tatibus

tatibus, *partim* & objectionum ſolutionibus firmabitur.

IV. C. *Canon.* & c. *Regula.* diſtinct. 3. Rittershuſ. in Procœm. libr. de diff. jur. Civil. & Canon. Danæus Iſagog. Chriſt. c. 12. de poteſt. Eccleſ. ibidemque plures cit. Iſidor. de Origin. lib. 6. c. 16.

Jus CANONICUM (Latinâ magis voce *regulare*) à *Canonibus* ita dictum eſſe, nemo eſt qui ignorat. Cur verò *Canones* dicantur non etiam leges, ab aliis abundè explicatum eſt; ſic ut prolixus hîc eſſe nolim. Verbo: Decreta, quæ olim ab univerſâ œcumenicâ Eccleſiâ ſcribebantur ſuper iis, quæ ad Politiam Eccleſiæ pertinebant, *Canones* appellabantur. Neque tantùm, quæ regiminis Eccleſiæ ratione condebantur; verùm etiam quæcunque regulæ, in Conciliis à Patribus in unum congregatæ, fidei Chriſtianæ dogmata complectebantur, *Canonum* appellatione veniebant. Scilicet, Decreta Eccleſiaſticorum ſcriptis comprehenſa, (ad diſtinctionem *conſuetudinum* eccleſiæ) quaſi eſſet univerſalis Regula, verbo Dei conformis, ad quam Chriſtiani ſe componebant, *Canones* nominârunt; ne fortean, ſi Eccleſiaſtici ſua Decreta *leges* vocâſſent, Civili po-

li poteſtati, cujus ſolius eſt, poſt ſummum Legiſlatorem, *leges condere*, aliquod præjudicium facere viderentur. Præter hanc *Canonum* receptam explicationem, etiam aliam *Canonum* apud Eccleſiaſticos acceptionem invenio. Ut, quando dicuntur eſſe *Canones Euangeliorum*. Non conditi, ut eſſent vivendi Chriſtianis norma; non ut Eccleſiæ regimen formarent: ſed *ut per eos ſcire & invenire poſſemus, qui reliquorum Euangeliſtarum ſimilia, aut propria dixerunt*. Quem poſtremum *Canonum* ſenſum jam non admitto, quòd in materiâ, quam tracto, meo non ſerviat inſtituto.

Danæus loc. cit.

Iſidor. de Orig. lib. 6. c. 15. per totum.

JUS vero *CANONICUM*, ſeu *regulare*, ita appellatum eſt, quòd Chriſtianis omnibus, quòd Eccleſiarum Rectoribus, ſit credendorum, agendorumque norma: quamquam id non niſi cum cautione maximâ ſit admittendum. Eſtque ſecundùm temporum varietatem & ſucceſſionem etiam *varium*. Ideoque idipſum variatis

Danæus libr. cit. c. 13. 14.

variatis temporibus variè intueor; ut *Antiquum*, ut *Medium*, ut *Novum*, ut *Noviſſimum*. Quæ diviſio an ab aliis ſit recepta, aut tradita, me latet: ſaltem illa mihi placet, & videtur meo inſtituto accommodata ſatis eſſe.

2 Corinth. 10. verſ. 13. & ſeq. Philipp. 3. verſ. 16. Galat. 6. verſ. 16.

ANTIQUUM mihi erit, (neque enim canonem *Biblicum*, ante Apoſtolorum tempora à Judæis aſſervatum, neque *Apoſtolorum tempora* attingo, quibus etjam *Canonum* appellatio aliquoties uſitata) quod conſtat canonibus *quatuor Conciliorum œcumenicorum*, ab *Iſidoro* citatorum. Scilicet, *Niceni*, ſub Conſtantino Magno: *Conſtantinopolitani*, ſub Gratiano & Theodoſio Imperatoribus: *Epheſini*, ſub Theodoſio ſecundo: *Chalcedonenſis*, ſub Martiano Principe habiti. Adeo ut in μνημονικὸν ἁμάρτημα inciderit *Rittershuſius*, cùm quatuor concilia „œcumenica, cum tribus aliis in „Eccleſiâ Græcâ habitis, ab *Iſido*„*ro* numerata ſcribat: cùm *Iſidorus*, loco allegato, tantùm *quatuor* œcu-

Iſidor. de Orig. lib. 6. c. 16.

Rittershuſ. diff. jur. civ. Can. in procem. p. mihi 7.

or œcumenicorum, à me citatorum, faciat mentionem. Licet autem ante quatuor illa Concilia, alia multa fuerint habita: ut *Romanum I.* Imperante Decio, *Ancyranum*, etiam à *Gratiano* in Decreto ſic appellatum, (ut falſus ſit *Caranza*, qui ſtatuit, *hoc concilium à Gratiano vocari ANCHYRITANUM*) tempore Diocletiani; & *Neocæſareenſe*, ſub Conſtantino Chloro & Galerio Maximino Auguſtis. Etiam inter illa quatuor perplurima ſint interpoſita, ut *Romanum II. Elbertinum, Arelatenſe, Gangrenſe*, aliaque, quæ ordine in *Summâ Conciliorum* enumerantur. Jure tamen iſtorum quatuor Conciliorum Decreta potiſſimùm ad jus Canonicum *antiquum* referre volui. Et, quia Canones & decreta ſunt in Conciliis univerſalibus, ab Epiſcopis facta. Et quia demum accedente approbatione Imperatorum, (quorum licentiâ & permiſſu conveniebant Epiſcopi) Canones inter jura locum habebant.

Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib.6.c. 38. i- C. 11. d. ſtinct. 16. Caranza in Princ. Summ. Concil. Ancyr. p. 33.b.

Barthol. Carranz. Summ. omnium Concil.

Iſidor. Origin. lib.6, c. 16.

Novell. 131.c.1. L.7. §. 4. Cod. Summ. Trin.

bebant. Unde Imperator *Juſtinianus*, illos *vicem LEGUM obtinere*, voluit, quos & ipſe ſequeretur. Cùmque in locis allegatis Imperator non niſi illas probet *regulas*, quæ *quatuor* Conciliis œcumenicis, etiam ibidem enumeratis, continentur: & probando jus faciat, quod juris auctoritatem non habebat. (Neque enim Eccleſiaſticis perſonis ulla tunc temporis competebat juriſdictio, tantum abeſt, ut condendi juris poteſtate gauderent: ſed Principis confirmatione ſecutâ, Canones auctoritatem ſortiebantur, & quæ decreta fuerant, rata hôc nomine habebantur.) Cùmque Canones ſupra modum laudando, paſſim intelligat quatuor tantùm Conciliorum Canones; (quos etiam *ſanctos* appellat: & *ſancta Concilia, quorum dogmata ut ſanctas Scripturas accipit, & regulas ſicut leges obſervat*) ideò *quatuor* illa concilia cum regulis contentis mihi erunt *jus Canonicum antiquum*, excluſis cæteris, reliquorum Conciliorum

Tot. tit. Cod. Epiſcop. Audient.

L. 1. §. 1. 2. 3. D. Confirm. tutor.

L. 7. §. 4. Cod. Summ. Trinit. Novell. 131. c. 1.

ciliorum *Provincialium* decretis; homines de ſe ad obſervantiam ſui non obligantibus.

MEDIUM jus Canonicum (aliter etiam *Pontificium* appellatum; & in quantum multa Decreta Pontificum continet; & in quantum autoritate Pontificum fuit approbatum) eſt illud, quod toto CORPORE CANONICO jam impreſſo exhibetur, continens *Decretum*, *Decretalia*, *Sextum*, *Clementinas*, *extravagantes*. A *Lanceloto* definitum; *Jus regulare, quod civium actiones dirigit ad finem æternæ beatitudinis.*

Lancelot. Inſtit. jur. Canon. tit. 1.

De ſingulis iſtius Corporis partibus ad uberiorem intellectum aliquid erit dicendum. Et quidem *Decretum* ab *Innocentio III. Corpus decretorum*, appellatum, anno Domini *milleſimo, centeſimo, quinquageſimo primo*, (ſecundùm alios anno *milleſimo, centeſimo, vigeſimo ſeptimo*) per *Gratianum*, *Monachum ſancti Felicis de Bononiâ collectum*, multiplicis generis dicta con-

Innoc. 3. in Epiſt. ad Archiepiſc. Compoſtell. Trithem. libr. de Scriptor. Eccleſ. Vetuſti Codices in fin. Decreti.

continet; *Legumlatorum*, *Eccleſiæ Doctorum*, ut & *Pontificum*, *Conciliorũ*, *ipſius Gratiani* & *Paleæ*. Quæ omnia, ut ſine judicio collegit *Gratianus*, non intellectos à ſe Autores citando, & quæ autorum non ſunt allegando: ita multorum incurrit reprehenſionem. Sic enim de *Decreto* loquitur *Albericus* „ *Gentilis*: *Scatere librum mendis, quorum ab ſe emendata trecenta, & alia ab aliis, ſcribit Covarruvias: & non intellectos Autores Gratiano aliquando, & in Hiſtoriis credendum eidem non omninò; & ſæpè citare illa, quæ Adriani ſunt, pro Codice Theodoſiano, item pro ſententiis Pauli.* Et *Renatus* ad *Tertullianum* ait, *Multa eſſe corrupta apud Gratianum: innumeras clauſulas vitiatas eſſe.* Quo etiam nomine factum eſt, ut apud pauciſſimos *dicta Gratiani habuerint vim legis.* Neque enim æquum videbatur, ut quod à privato Doctore, & quidem ſine judicio, collectum eſſet, juris niteretur auctoritate. Accedit,

Alber. Gentil. diſp. jur. Can. libr. p. mihi 18.
Ritterſhuſ. diſſer-jur. Civ. & Can. in Proœm. p. 8.
Joh. Andr. c. 2. de feud.
Contrarium ſtatuit Duaren. in præf. ad Eccleſ. ſacr. Min.
Alber. Gent. de libr. jur. Can. diſp. c. 2. ex Covar.
Ren. ad Tertull. de cor. milit.

dit, quòd cùm, quæ Decreto continentur, non ſint leges, non potuerit *Gratianus*, ut Magiſter, eas facere leges. Neque enim, *quæ leges non ſunt apud auctorem, leges erunt apud Gratianum relatorem.* Saltem antiqui Patres, quorum dicta perplurima complectitur *Decretum*, non eo animo ſcripſerunt; ut vellent, quæcunque à ſe dicta eſſent, vim legis obtinere. Et ſi non, quicquid Princeps eloquitur, niſi animo condendi juris eloquatur; habeat vim legis, multò minùs Patrum dicta, quæ ipſi noluerunt eſſe jura, vim legis conſequentur. Neque etiam canones Conciliorum, neque Pontificum decreta, neque ipſius *Gratiani*, ullam merentur auctoritatem, niſi quantum *Ratione* nituntur. *Gratiani dicta*, (inquit *Curtius*) *quatenùs RATIONE non juvantur, dicuntur PALEÆ.* Et *Gloſſa*, eundem reprehendens, hæc verba continet; *Quod ſequitur, malè inducitur: & ita ſuperficialis eſt argumentatio magiſtri. Pontificum* etiam Re-

Alber. libr. cit. p. 19.

D.D ad l. 1. D. Princ. conſtit. Alber. libr. cit. p. 21. Curt. de Feud. q. 1. Gloſſ. ad c. 2, diſtinct. 68.

Cujac. in Parat. Cod. de Epiſc. Audient.

ſcripta vim *legis* non habent; cùm illi juriſdictionem ſecularem non habeant. Undè illa Autoribus in *Decreto* nomine *paleæ* veniunt; non tantùm, quæ levia & inania, qualia multa reperiuntur: ſed quæ de juribus cœleſtis & terreni imperii, *Petro* commiſſis, deque *Conſtantino Magno*, Romano (uti fingunt) Pontifici, multa & magna tribuenti, referunt. Undè *Immolæ* dictum; *paleam, multum tritici Eccleſiæ attuliſſe.* Accedit denique, quòd *Gregorius* Pontifex *Decretalium* conſtitutione omnes *Decreti* partes, non in Decretalibus expreſſas, repetitas, abrogaverit. Sic enim ſcribit: *Volentes, ut hàc tantùm compilatione univerſi utantur in judiciis & in Scholis, diſtrictiùs prohibemus, ne quis præſumat aliam facere, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſpeciali.* Hæc circa *Decretum* eò uberiùs explicui; ut hinc conſtaret, iniquum eſſe, ut quod ne quidem à Pontificiis quoad omnia receptum eſt, cæteris paribus, à nobis

Alberic. loc. cit. p. 25.

Gregor. 9. in Epiſtol. Decretalibus Præmiſſâ.

nobis pro *jure* admitteretur.

Decretalia, (*altera*, nec minima juris *Canonici* portio, quæque maxime apud Pontificios locum obtinent) nihil aliud ſunt, quàm Epiſtolæ, Reſcripta atque Edicta Pontificum Romanorum, juſſu *Gregorii IX.* (ideo etiam *Gregorii decretalia* dicta) per *Raymundum*, ejuſdem Pontificis Capellanum & pœnitentiarium, in unum volumen, reſecatis ſuperfluis, collecta. Quæ etiam quandoque citantur per ɔc, aut *EXTRA*, in quantum *extra Decretum*, quod priùs erat compoſitum, ſunt conſtituta.

Gregor. IX. in Epiſtol. ad Bonon. Doct. Schol. miſſâ. Alberic. Gent. lib. jur. Can. c. 1. p. 12.

Sequitur *tertia* juris Canonici pars, qui Decretalium *Sextus* eſt appellatus; non tam quod à *Sexto* quopiam Pontifice eſſèt collectus: quā fortè, quòd eſſet *ſexta* Decretalium *compilatio*; (quam tamen dicere poſſis *ſeptimam*, ut vult *Albericus Gentilis*); vel, ſi mavis, quòd eſſet *ſextus* liber, *quinque* Decretalibus *Gregorii* ſuperadditus. Eſtque hæc Sexti collectio auctoritate *Bonifacii VIII.* inſti-

Alberic. lib. cit. c. 1. p. 10. 11.

tura, operâ *Guiljelmi* Archiepiſcopi Ebrudunenſis, *Berengarii* Epiſcopi Biterenſis, *Richardi de Senis* Eccleſiæ Romanæ Vice-Cancellarii. Atque ita hunc librum edi voluit *Bonifacius*; ut, quod eo non eſt ſpecialiter Decretalibus *Gregorii* derogatum, in ſtatu & vigore permaneat. Ita tamen hic *Sextus* in *Corpore Canonum* eſt conſtitutus; ut non ubique in Papatu fuerit admiſſus. Cùm enim auctorem habuerit *Bonifacium*, hôc ornatum elogio; quòd ut vulpes intraverit, ut leo (ſecundùm nonnullos, ut *lupus*) regnaverit, & mortuus fuerit ut canis, quem pleraſque in *Sexto* conſtitutiones, in odium & æmulationem *Philippi* Francorum Regis, & ad Romanæ aulæ quæſtum excogitâſſe credebatur; factum, ut in Galliâ nunquam fuerit receptus.

Bonif. 8. in Prooem. Epiſt. ad Bononienſ.

Duaren. in Præf. de ſacr. Eccleſ. Miniſt. Ubi multa de jur. Can.

Succedit *quarta* juris Canonici pars, *Clementinæ* dictæ. Quas ſuo nomine ſic appellatas voluit *Clemens*, Pontifex ejus nominis *V.* Quæ quidem in Concilio Vienneſi,

Johan. Epiſc. in Epiſt. Prooem. ad Bononienſes.

nenſi in Galliâ per eundem ſunt productæ: verùm, quia mortalitate præventus, non ultimam iiſdem adhibuiſſet manum, demùm ab ejuſdem ſucceſſore *Johanne* Epiſcopo accuratè ſunt editæ.

Acceſſerunt denique (quæ juris Canonici partem *quintam* conſtituunt) *Johannis Extravagantes*, barbaro vocabulo ſic appellatæ; etiam aliâ voce inuſitatâ dictæ *Johanniæ*, quaſi *Johannianæ extravagantes*, à *Johanne* Papâ *XXII.* editæ, continentes ejuſdem conſtitutiones 20. & aliorum communes. Neque hæ conſtitutiones *extravagantes* appellantur; quòd *extra Decretum* ſint conſtitutæ; (hoc enim omnibus commune eſt Decretalibus) neque etiam quòd non intra Corpus Canonicum ſint receptæ: (cùm tam, quàm Decretales, ejuſdem partem faciant): verùm quòd *extra Decreti & reliquorum Decretalium Corpus vagarentur.* Atque hæ fuêre partes, quæ illud jus Canonicum, *medium* mihi dictum, conſtituunt;

Alber. libr. cit. c. 5. Ritterſhuſ. in Procem. libr. cit. Alber. c. 1. circ. fin.

Alber. loc. cit.

quod ſine adjectione, peculiari ratione, vocatur *Jus Canonicum*: quodque Corpore Canonico, ad oppoſitionem corporis juris *Civilis* ſeu *Juſtinianei*, continetur.

Jus Canonicum NOVUM erit id omne, quod per Pontifices, aut in Conciliis generalibus, aut Provincialibus, fuit decretum, conſtitutum; idque poſt tempora *Johannis XXII.* uſque incluſivè ad Concilium *Tridentinum* generale & œcumenicum, primitus à *Paulo III* Pontifice, ad extinguenda *Lutheri* dogmata, indictum. Et, quemadmodum non unus illi Concilio locus eſt deſignatus: (*Mantua* enim primùm electa; dein *Vincentia*, pòſt *Tridentum*, & denique rurſum *Tridentum*) ita tandem *anno* 1545. quod tempus quartum illi Concilio deſtinatum erat, inchoatum eſt; idque habitum ſub *Carolo V.* & *Ferdinando* Imperatoribus: *Paulo III. Julio III. Marcello II. Paulo IV. Pio IV. Pio V.* Pontificibus ordine creatis. Nonnulla autem fuère Concilia

Bartholom. Caranz. Summ. concil. ad decret. Concil. Trident. Confirm. Concil. Trid.

cilia generalia, *Provincialia*, inter iſtas periodos, quæ à *Johanne XXII.* inchoatæ, ad *Pium* uſq; *V.* ſeſe extendunt: qualia erant, *Conſtantienſe*, ſub Johanne XXIII. *Baſileenſe*, ſub Martino V. *Florentinum*, ſub Eugenio IV. Et *Lateranenſe III.* ſub Julio II. atque Leone X. Pontificibus, habitum. Quorum Conciliorum decreta, utpotè à Pontificibus probata, (ſenſu Pontificiorum) tam Juris Canonici portionem faciunt, quàm cætera omnia, quæ ad volumen Corporis ſeu Juris *Canonici* acceſſerunt. Et ideò mihi jam enumeratorum Conciliorum Decreta jus Pontificum *Novum* conſtituent. Gabriel. Prateol. in ſerie concilior. lib. de vitis, ſectis, dogmatibus omnium hæretic.

NOVISSIMUM itaque jus *Canonicum* optimo jure mihi vocabitur, (licet id *Zypæo* ſit *novum*) quod *vel* à Pontificibus Romanis poſt Tridentinum Concilium, *vel* à congregatione Cardinalium, qui Interpretes Decretorum concilii *Tridentini* per Pontificem *Pium IV.* ſunt dati, conſtitutum eſt. Quicquid igitur ab illâ con-

Zypæus Jur. Pontif. nov. Annal. Enarr. in Epiſt. ad Lect.

gregatione in caſibus ſpecialibus ,, eſt deciſum, & quæcunque re-,, ſolutiones factæ ſunt; illæ non a-,, liter, atque de jure civili reſpon-,, ſa Prudentum, in utroque Foro ,, (ex ſenſu Pontificiorum) ſervan-,, tur, & juxta eaſdem eſt judican-,, dum. Habet enim illa Congre-,, gatio poteſtatem inſtar Pontifi-,, ciæ; & ideò ejuſdem amplitudo ,, hodiè Pontificiæ proxima eſt.

V. Atque ita explicatis, quantum ſatis eſt, omnibus *juris CANONICI*, ſecundùm temporum diſtinctiones, partibus integrantibus; antequam ad deciſionem quæſtionis propoſitæ me conferam, id unum mihi explicandum ſupereſt; *quid ſit, conſtitutionem, vel decretum, vel canonem, VIM LEGIS obtinere?* Et *reſpondeo.* Cùm *lex* à *ligando* dicta videatur, in quantum hominem ligat, ſi non cogit; (eſt enim commune civitatis vinculum, *communis ſponſio*) id mihi *vim legis habere* dicetur. 1. Quod talis eſt virtutis atque efficaciæ, ut omnes

L. 1. D. leg.

mnes, quotquot illam ut legem agnoverunt, *teneat*, atque ad obſervantiam ſui *conſtringat*. Unde à *Grotio* lex conſideratur, ut *regula*, *obligans ad id, quod rectum eſt*. Quo ſolo nomine à *conſiliis*, & ſi quæ ſunt aliæ regulæ monitoriæ, diſtinguitur. Quæ licet fortè æquæ ſint, honeſtatique minimè repugnantes; *legis* tamen efficaciam non ſunt habituræ, in quantum obligandi conſtringendique facultate omninò deſtituuntur. Inſuper, quando ad ſui obſervantiā lex hominem tenet, ſic tenet ut eundem quaſi *duplici* vinculo ſibi devinctum habeat; uno in ordine ad *hominem*; altero in ordine ad *Deum*. Illo, in quantum legis pars (quæ *ſanctio* appellatur) tranſgreſſori, ſeu delinquenti, pœnam irrogat. Quæ, uti à Magiſtratu Politico infligitur: ita etiam præceſſiſſe delictum in civitate perpetratum, arguebat. Culpa quippe & pœna relativa ſunt. Ut, ubi extrinſecum hominem Magiſtratus temporali pœnâ coërcet, ibi antecede-

L. 32. D. eod. L. 9. Cod. eod. Grot. jur. bell. l. 1. c. 1. n. 9. §. ult. Inſtit. verb. Obligat. §. *ſin autem quis ita*. Inſtit. Pupill. Subſtit.

re neceſſum ſit reatum, ſeu culpam, in foro externo commiſſam. Quo nomine Apoſtolus inquit: *Quòd ſi feceris, quod malum eſt, time: neque enim temerè gladium geſtat.* Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. *Dei enim miniſter eſt, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit.* Et Apoſtolus *Petrus* ſcribit, Pręſides eſſe miſſos εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν. *tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium.* Quocum conſentit *Jus civile*, *legem* definiens; quòd ſit *commune præceptum, atque delictorum, quæ ſponte, vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio.* Nec diſſentit *Canon*, agens de *fine* legum: *Factæ enim ſunt leges, ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio, refrænetur nocendi facultas.*

Rom. 13. v. 4.

1. Petr. 2. verſ. 14.

L. 1. l. 7. D. de legib. Grot. introd. ad jur. Holland. lib. 1 c. 2. C. 1. diſtinct. 4.

Neque hoc tantùm: ſed & lex civilis *conſcientiæ* vinculo hominem conſtrictum tenet. Adeo ut,

qui

qui legem Politicam violat, in conſcientiâ peccet. Quo ſenſu Apoſtolus *Paulus* dixit: *Qui poteſtati reſiſtit*, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ *divinæ ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt*, ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται. h. e. *ipſi ſibi condemnationem ferent.* Et pòſt: *Quapropter neceſſe eſt ſubjici*, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Id eſt, non tantùm, ſi legis civilis fueris tranſgreſſor, pœnam feres *temporalem*, ſed & *æternam*; niſi reſipiſcas. Neque enim tantùm peccas in Magiſtratum, ſed & in Deum, qui te voluit poteſtati ſeculari eſſe ſubjectum. Adeo ut poteſtati reſiſtens, divinæ reſiſtas ordinationi: cùm omnis poteſtas ſit à Deo, *Ergo* (uti loquitur *Petrus*) *ſubjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi*, διὰ τὸν Κύριον. *propter Dominum.* Id eſt, cùm Deus ſuæ legis præcepto voluerit, nos eſſe ſupremis ſubditos poteſtatibus; eo ipſo, quòd legis civilis ſimus contemptores & violatores,

Rom. 13. v. 2. & v. 5.

1. Petr. 2. verſ. 13. 7.

Rever. Parens D. Giſb. Voet part. 2. diſp. de Eccleſ. Can. decret. mor. & conſ.

Etiam divini præcepti tranſgreſſores vocabimur; adeoque & in Magiſtratum & in ipſum Deum peccabimus: adeoque non ſolùm in foro exteriori, ſed & in judicio conſcientiæ, quæ ad obedientiam legis obſtricta erat, non directè & per ſe, verùm per aliud, id eſt propter *Deum*, obligabimur. Et non aliter, ac Præſidibus per Regem miſſis non parens, in Regem ipſum eſt injurius · ita in leges civiles delinquens, illum contemnit, quem legiſlator vice ſacra judicare voluit. Igitur omnis in lege quâcunque latâ parendi obligatio, tam quoad *externum*, quàm quoad *internum* hominem, indè naſcitur; & quòd, qui legem tulit, (ſive id agat immediatè, ſive mediatè per Magiſtratum Politicum) ſummâ gaudeat poteſtate: qualis eſt *Deus Optimus Maximus*. *Et*, quòd, quæ lex eſt lata, ſi *immediatè* à ſummo Legiſlatore, ſit divina lex, & prima norma omnis rectitudinis atque honeſtatis: ſi *mediatè*, per homines, (cùm ſit rationabilis & *juſta*:

juſta: aliter enim lex non eſſet) ſit divinæ legis quædam participatio, rectæ rationis judicio ad primam honeſtatis normam, id eſt immutabilem legem Dei, regulata. Cùmque homo ſit obligatus in conſcientiâ, ut ſequatur ductum divinæ legis: & rectæ rationis judicium regulatum dici non poſſit, (adeoque nulla lex civilis) niſi accuratè conveniat cum divinâ regulâ & exemplari infallibili, quod ſequi cogitur; facilè pateſcit, quemcunque teneri conſcientiæ ratione, ſequi leges civiles, ut divinæ legi conformes. Sic tamen, ut civiles non tam obligent ipſam conſcientiam, quàm quidem in conſcientiâ. Aut, ſi obligent conſcientiam; id fiat mediatè, & per conſequentiam; vel etiam hôc uno in caſu immediatè, ſi directè faciant ad legem aliquam divinam conſervandam. Can. 2, diſtinct. 4.

Verùm 2. & ultimò; quod *vim legis* obtinet, (ſi modò lex perfecta ſit) hunc parit effectum, ut, quicquid contra illud geſtum, contra- Ulpian. in fragm. tit. 1. L. 5. Cod. leg.

ctum, actumve fuerit, ſit ipſo jure nullum: &, quod fuerit ſubſecutum, pro non geſto, ſeu inutili habeatur. Quæ unica mihi videtur eſſe ratio, quòd Judices oporteat eſſe *legum peritos*; ne, ſi fortè in leges impingendo, ſententia *lata* nullius ſit momenti, nec effectum pariat rei judicatæ. Quæ etiam eſt ratio, quòd *in judicando leges ſequi* teneantur. Ne pedanei Judices, litem ſuam facientes, ſi per *imperitiam* ſententiam contra leges tulerint, Judicis arbitrio puniantur; aut ſi per *dolum*, vel dignitate priventur, vel publicatis bonis in exilium mittantur. Immò vel hinc ſatis colligitur, id ipſum *vim legis* obtinere, ad quod Judicem in judicando collimare oportet. Jubetur enim id ſequi, quod aut legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt. Et eo ipſo alicui regulæ legalis ineſt obligatio, quòd eam Judex in judicando ſequi teneatur. Sic enim loquitur *Tribonianus* de Reſponſis Juriſconſultorum; *eam*, inquit, *ſententiæ*

Init. Inſtit. de quaſ. Contract. Novell. 124. c. 2.

Init. Inſtit. Offic. jud.

tentiæ eorum & opiniones auctoritatem tenebant, ut judici recedere à reſponſis eorum non liceret. Eſtque idipſum, quod quammaximè in Judice reprehendit *Juſtinianus* Imperator: *Quomodò*, inquit, *non maximum vitium erit reipublicæ, non eis, qui ex ſe quod agendum ſit ſciant, lites tradere, ſed ſinere eos quærere alios, à quibus liceat diſcere, quæ ipſos in judicando eloqui decet?* Et quò religionis metu legibus magis adſtringeretur in ſententiis ferendis Judex; in primordio cujuſvis litis jurare cogebatur, ſe ſecundùm leges & jura judicaturum. Etiam majores magiſtratus, quibus permiſſum erat, ſed legibus conformiter, *ſecundùm quòd ipſis juſtiùs meliùſve viſum fuerit*, judicare. Quanquam hâc in parte conſuetudo variet, ſecundùm quam Judex nonniſi ſemel, idque dum ad judicandi munus aſſumitur, jurat, ſe ſecundùm id ipſum ſententiam laturum, quod moribus atq; legibus eſt proditum.

§.8. Inſtit. jur. nat. Gent. Civil.

Novell. 82. in init.

Rævard. varior. 5. c. 8.

Authent. *Hodiè.* Cod. judic.

Zoeſ. ad dig. de judic. n. 29. L. 23. Cod. Teſt.

Atque hæc paulò prolixiùs explica- VI.

plicare volui;quòd viam parent ad ſequentia,&Controverſiæ,poſtmodùm decidendæ,multum lucis adferant. Sequitur, ut manifeſtũ reddam, *Jus Canonicum APUD NOS VIM LEGIS non obtinere.* Et quidem id primitùs de variis Juris Canonici *partibus*, dein de jure Canonico *in genere*,confirmabitur.

Dixi ſuperioribus pagellis, per *JUS CANONICUM* adverſarios intelligere antiquos canones & Eccleſiæ decreta, ab Epiſcopis in quatuor Conciliis œcumenicis conſtituta. Verùm non putarem, quempiam,à me etiam diſſentientem, per *jus Canonicum* intellexiſſe *quatuor illa Concilia*: cùm juris Canonici, Corpore Canonico contenti, ne minimam quidem portionem faciant. Neque etiam in Corpore Canonico omnes iſtorum Conciliorum Canones, & ordine & integrè enumerantur. Accedit,quòd Canones Conciliorum *quatuor* œcumenicorum, juris auctoritatem nunquam in rebus Politicis,in Foro ſeculari obtinuerint.

De

De quo tamen controverſia eſt, dum quæritur: *Utrum jus canonicum in dicaſteriis FOEDERATI BELGII obtineat vim LEGIS?* Cùm enim ſecundùm jus *Juſtinianæum*, quo *quatuor* Conciliorum decreta ſunt recepta, negotiis civilibus immiſceri Clericos, opprobrium haberetur; ſatis colligitur; Canones illos Conciliorum tantùm in rebus Eccleſiaſticis, ut Fidei dogmatibus, vitâ Clericorum, moribus, ceremoniis, aliiſque ritibus Eccleſiaſticos ſpectantibus, locum inveniſſe. Atque in talibus Imperator voluit, *ne leges dedignarentur ſequi ſacros Canones.* Non quaſi *ſacri*, ſic dicti, Canones ipſum jus Civile probent; aut in Foro civili Judicibus ad inſtar legum ſint præfixi: ſed quòd potiùs canones Eccleſiæ jure civili probentur, & decreta eccleſiarum in negotiis Eccleſiaſticis Principis *Juſtiniani* conſtitutionibus adjuventur. Denique certiſſimum eſt, illos Conciliorum Canones tantùm in cauſis & negotiis Eccleſiaſticis

ſticis, in regimine, Politiâ Eccleſiæ, juris habere auctoritatem; adeò ut Eccleſiæ ſecundùm eos, emergentes caſus decidere tenerentur, Prætérquam enim, quòd illa *quatuor* Concilia nobis *quatuor Euangelia* non ſint; adeoque præjudicium nullum Eccleſiæ libertati adferre poſſint, quæ pro ratione temporum, locorum, quoad mutabilia, immutare, alterare, ea poterit, quæ fortè jam minùs convenientia, licet olim commoda ſatis & utilia fuerint: adhuc tamen habent pleræque Eccleſiæ apud *Reformatos* ſuos *Canones Eccleſiaſticos*, (**Kercken-ordre** appellamus) ab Ordinibus Provinciarum approbatos, Quos Eccleſiaſtici ex officio ſequuntur in iis, quæ Eccleſiæ regimen, electionem, vocationem, Paſtorum, Seniorum, Diaconorum, ſpectant. Et, ſicubi illa Decreta deficiunt, ad *ſacrum Codicem*, tanquam ad infallibilia Decreta, recurrendum cenſent.

Iſidor. loc. cit.

Danæus de Poteſt. Eccleſ. c. 13.

Non etiam *jus Canonicum medium* (quod peculiari ratione *Pontificium*

tificium appellatur, corpore Canonico contentum (de quo potiſſimùm mihi ſermo) in Curiis *noſtrarum Provinciarum* adinſtar legis ſervatur. *Tum*, quia potiſſima ejus pars (*Decretum* deſigno) privati hominis, ſcil. *Gratiani*, induſtriâ collecta eſt. Cui, uti nulla erat auctoritas, aut poteſtas condendi juris, fatentibus etiam ipſis Pontificiis: ita non potuit efficere, ut Conciliorum Canones; dicta, reſponſa Patrum, à ſe in unùm collecta, auctoritatem juris obtinerent. *Tum*, quia, quæ partes in Corpore Canonico ſuperſunt, ne quidem ab ipſis *Pontificiis* ſunt receptæ; quibus ſcilicet Pontificum jugum, ſine quorum auctoritate & approbatione Canon regula non eſt, iniquum & intolerabile viſum eſt.

Zoeſ. D. leg. n. 22.

Vid. ſuper. not. Zoeſ. dict. loc.

Multò itaque minùs *jus Pontificium Novum*, & *Noviſſimum*, (quale eſt *Concil. Trid.* cum *Cardinalium* deciſ. ad illud) apud Reformatos juris nomen meretur. Cùm enim hoc *concilium contra Lutheranos, Zuin-*

glianos & Calviniſtas ſit indictum, uti loquitur *Bibliothecæ Vaticanæ* editor: &, teſte *Zypæo*, (loquitur de *Concilio Trident.*) *infelix hoc ſeculum nullum ſalutarius antidotum adverſus hæreſes habere potuerit*; (deſignat *Reformatam* religionē) adeo non legis efficaciam obtinet in Provinciis unitis, ut nullum decretum magis ipſarum regimini ac ſtatui Politico ſit adverſum. In tantum etiam, ut, qui ex Pontificiis rigidioribus idipſum per omnia approbant, Reformatæ religioni addictis Magiſtratibus fideliter ſubjecti eſſe nequeant. Accedit, quòd ne quidem apud omnes Pontificios, Reges Papiſtas, hoc jus *novum* auctoritate *juris* gaudeat. In *Galliâ*, certè nunquam fuit admiſſum; ſic etiam, ut multi Juriſconſulti Papales plurima Concilio Tridentino contraria ediderint. Inter eos eſt *Duarenus*, qui de libertate Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſit; *Innocentius Gentiletus*, qui examinat ipſum Concilium, aliique plures contra jura

Angel. Roccha, in Biblioth. Vaticanæ comm. p. 218.

Vid. D. Horenbeek diſp. ad Bull. Innoc. X. §. 17.

nova

nova ſuæ Eccleſiæ libertatem protegentes. Quo etiam nomine *Zypæus impiam* vocat *conſultationem Caroli Molinæi*, ſuper facto Concilii Tridentini: & non ſatis piè de *Gallis* ſcripſiſſe refert *Paſquietum, en ſes Recherc.* quòd ſcri- Zypæus. jur. Pontif. nov. Anal. Enarr. lib. 1. tit. 1. n. 9.
„ pſiſſet in tantùm Concilii Tri-
„ dentini decreta antiquæ liberta-
„ ti Eccleſiæ Gallicanæ contraveni-
„ re, ut induci non potuerint ad
„ ea recipienda. Quid? quòd etiam in multis *Germaniæ* locis non obtineat *Concilium Tridentinum*; licet Pontifici ſupremæ poteſtates ibidem ſint addictæ. Quæ cauſa fuit, quòd alibi *Becanus* ſcribat: *Multos ſubditos in Germaniâ legitimè excuſari, quando non ſervant leges Concilii Tridentini.* Quis igitur eò temeritatis deveniret, ut ſtatuat, hoc jus canonicum *noviſſimum* apud *Reformatos* vim *legis* obtinere?

Verùm ad alias rationes progredior; *in genere* probaturus, nullum *jus Canonicum*, quod *Pontificium* appellatur, ullâ legum auctoritate

ctoritate gaudere. Et quidem jus Canonicum ſecundùm varias *formas* & diverſos *conſiderandi modos* intueor. Neque enim à jure alienum eſt, unam eandemque rem diverſo jure cenſeri; & præjudicium alicui fieri, vel non fieri; in quantum aliter atque aliter conſideratur. *Aut* enim *jus Canonicum* in Foro *noſtro* obſervaretur, ut Canonicum, & (ut Philoſophico utar termino) *formaliter* conſideratum; *aut* 2. ut vel quondam, vel jam receptum & adprobatum eſt; *aut* 3. ut æquum eſt, & rationi per omnia conſentaneum. Verùm neque *illo*, neque *iſto*, neque *hòc* modo locum in Foro tenet. Itaque *nullo* prorſus *modo*.

L. 73. D. Evict. §. 5. Inſtit. inoff. Teſtam.

Quod 1. ſpectat membrum; notiſſimum eſt, hoc ipſum *formaliter*, & quatenus eſt tale, *legis* auctoritatem obtinere: quòd *&* ratione Legiſlatoris, cujus juriſdictioni ſubjecti ſumus, aut quem aliquo modo ut ſuperiorem, juriſdictione temporali præditum, agnovimus: *&* ratione materiæ,

quam

quam continet; & ratione formæ; & denique ratione cauſæ finalis, à nobis ſervatur. Verùm dici non poterit, *jus Canonicum* ita apud *fœderatos Belgas* eſſe receptum.

Ut enim hæc præmittam; ne quidem paſſim & ubique in *Papatu* ſic receptum fuit jus *Canonicum*: tantum abeſt, ut à nobis, qui nullam Pontificis juriſdictionem, aut ſecularem, aut eccleſiaſticam, agnoſcimus, reciperetur. Ita *Galliarum* Reges, qui Pontifici quoad cætera favent, Papale jugum ferre perpetuò recuſârunt. Imprimis huic rei fidem facit *Philippi Pulchri* exemplum: qui, cùm *Bonifacius VIII. Anno* 1296. eum ſuæ poteſtati ſubditum aſſerere vellet, idque tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus; adeò Pontificis amentiam coërcuit, ut eundem Anagniæ comprehenſum, in carcerem conjecerit. In quo, qui tanquam leo Pontificatum adeptus fuerat, adinſtar canis eſt mortuus. Atque hinc factum; quòd *Sextus* Decretalium à *Bonifacio*

Platin. in vit. Pontif.

Duaren. ſupr. cit.

facio VIII. compilatus apud Gallos nunquam fuerit receptus. Accedit, quòd poſt illa tempora in Galliâ plurima ſint edita, quibus Pontificis juriſdictio & poteſtas oppugnatur. *Sic non ſemel Curia Pariſienſis* (ſunt verba *Coſtalii*) *Diplomata Pontificia, quæ contra jus regni eſſent, nulla eſſe pronunciavit, & imperium exſecutoribus abrogavit. Atque adeò Pontifices & Cardinales, edicta Curiæ detrectantes, & pignoribus captis & ingenti pecuniâ coërcuit. Cùm tamen tales jure Pontificio & civili extra Laicorum poteſtatem notionemve poſiti ſint*, Idem paulò pòſt: *Nec verò juſtè*, inquit, *quiſpiam dixerit, peccare Gallos, qui Pontificum edicta non obſervent. Nam Bonifacianas conſtitutiones, & id genus alias, quæ Regis, & regni Gallici libertatem & privilegia minuerent, pridem unâ clauſulâ Clemens quintus antiquavit.* Et, qui parùm favet autoritati Papæ, liber „eſt editus, in contemptum Papa„lis juriſdictionis, à *Guiljelmo Bar-*

Petrus Coſtalius part. 1. Adverſ. ad l. 32. D. leg.

„ *Barclajo* JCto, natione Scoto, „& Profeſſore Academ Muſſipon- „ tanæ in Lotharingiâ: quem cum „ refutandum ſibi aſſumpſiſſet, in „ gratiam Pontificis, *Bellarminus*; „ à *Johanne Barclajo* filio, titulo „ *Pietatis*, eſt retuſus. Sic ut indè pateat, parum aut nihil auctoritatis Papæ in Galliâ relictum eſſe.

Venerandus meus Parens in diſp. de Tempor. Papæ Poteſtate, part. 1.

Accedit, quòd etiam Pontificii in *Angliâ* juriſdictionem Papæ rejecerint; inter quos eminet *Widdingthonus*, qui variis editis Scriptis, partes ſemel ſuſceptas adverſus ſuos fratres Pontificios eſt tutatus. Cumque ſub *Henrico*, ejus nominis *VIII*. Papali in tantum ſuperſtitioni addicto, ut ad rogum uſque Reformatos perſequeretur, multa Decreta, Acta, conſcripta ſint, quæ poteſtatem Papæ temporalem penitus, ſpiritualem pænè, ſuſtulerunt; ut qui annatas & decimas omnium beneficiorum ſibi vendicaverit: dubium eſſe non poterit, quin & ipſi Pontificii juriſdictioni Papali ſubeſſe noluerint.

Johan. Boter. relat. de Regn. Angl.

Notum etiam *Venetorum* exemplum, qui tanti fecere Papæ auctoritatem, ut eandem legibus civilibus poſtpoſuerint; ſaltem eundem legibus alligatum eſſe declarârint. Ita Juriſconſultus Venetus ad *Paulum V. Audi*, inquit, *imprimis, quid Pontifices prædeceſſores de legibus Principum ſecularium dixerint: Leo quartus & Gelaſius ſcribunt, quis leges Principum dicet debere contemni? quæ irrefragabiliter ſunt cuſtodiendæ: &, ſi quis aliter dixerit, ſciatis eum mendacem.*

Juriſc. Anonym. in Epiſt. ad Paul. 5.

Ut hoc taceam, quòd in Imperio *Germanorum*, jus Canonicum, quà tale, non fuerit receptum; ne ibi quidem, ubi ſuperſtitioſa Papatûs dogmata plurima obtinebant. Quid? quòd Juriſconſulti Germani ſeſe juri Canonico, & Pontificis præſumtæ juriſdictioni oppoſuerint. *Marſilii Patavini* liber extat, quem pro Imperatore *Ludovico Bavaro*, in Pontificis uſurpatam emiſit auctoritatem. Alia etiam multa proſtant, contra pote-

Marſil. Patav. liber, cui tit. *Defenſor Pacis*.

poteſtatem Papalem acta & ſcripta, quæ in conſtitutionibus Imperialibus, aliiſque Voluminibus, à *Goldaſto* ſunt emiſſa. Quibus addenda *Georgii Haywarti* conſiliarii Bavarici, *Ludovici Bavari* contra *Bzovium* defenſio. Etiam poterunt legi exclamationes *Petri Ferrarienſis*, Pragmatici nobiliſſimi, in Papæ dominationem, à *Ritterſhuſio* collectæ. Undè illa *Bartholi* ſententia celebrata; „Canones in terris Eccleſiæ prævalere „legibus: leges autem Canonibus, in terris Imperii præferen„das eſſe. Quo cum facit illud „*Baldi*, jus civile, non verò Ca„nonicum, in iis ſpectari Provin„ciis, quæ Imperatori ſubſunt. Et certè, ſi fortè in Imperio aliquam auctoritatem nactus ſit Pontifex, cum ſuis Canonibus; id *partim* imperii ruinis, (id eſt Principum ignaviâ, conniventiâ) *partim* falsâ religionis Papalis opinione, quæ præſcriptionem non fundant, effectum eſt.

Ritterſhuſ. diff. jur. Can. Civil. in proœm. p. 2, 3. Barthol. in l. *Privilegia*; Cod. Sacroſ. Eccleſ. Bald. authent. *ad hac*. coll. 4. Cod. Uſur. Ritterſhuſ. libr. cit. p. 20.

Cùmque ex hiſce poſitis ſatis

ſuperque pateat, ipſos Romano-Catholicos poteſtatem Papæ vilipendiſſe; quidni Proteſtantes in totum eandem exploderent? Nulla enim apud eoſdem eſt Papæ auctoritas, nulla juriſdictio, aut Eccleſiaſtica, aut ſecularis: ut verè *Arumæus* dixerit: *In imperio Proteſtantium omnis juriſdictio eccleſiaſtica Pontificum ſublata eſt.*

Arum: diſc. Acad. de jur. Publ. vol. 2. diſc 30. theſ. 4.

Neque *noſtri* eidem unquam ſubjecti fuerunt, *aut* quoad conſcientiam, *aut* quoad externum hominem. Cum igitur Papa, quà talis, (neque enim eum ut Italiæ Principem reſpicio) ſecundum ſenſum Reformatorum, in eo jus divinum & humanum amplectentium, nullum legitimo titulo habeat territorium, juriſdictionem nullam: (aut, ſi haberet, Reformati ſaltem ejus juriſdictioni ſubjecti non eſſent) neque quiſpiam obligetur legibus ab eo latis, cui ſubditus non eſt: (nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur) &, etiam fatentibus Pontificiis, quod ſublatum eſt à Pon-

Nov. 83. §. 2. Nov. 123. c. 21. & 24. L. 18. & l. ult. D. juriſd. C. 2 de conſtit. in 6.

Pontifice, *nonniſi quoad ſuos ſubditos ſublatum videatur*: cùmque adeò nullâ gaudeat poteſtate condendi juris, efficiendique ut decreta ſint leges: (nam, ſecundùm Reformatos, nec divino, nec humano jure id ei eſt conceſſum.) Neque is leges conſtituere valeat, ſi earum conſtitutio auctoritatem conſtituentis excedat; certum erit apud *Reformatos* jura Pontificum, quà talia, (neque enim reſpiciunt Reformatos, ut Eccleſiæ Romanæ Apoſtolicæ ſubjectos) vim & auctoritatem legum non obtinere.

Zoeſ, D. qui Teſtam. fac. poſſ. n. 46.

Argum. l. fin. Cod. jur. omn. jud.

Et, ne videatur hæc diſtinctio potiùs eſſe *Philoſophica*, (uti nonnulli fortè clamitabunt; quibus id, quod accuratè & non confuſè propoſitum eſt, ſubtilitati Philoſophicæ annumeratur) introducam *Albericum Gentilem* Juriſconſultum clariſſimum, ſimilem in modum diſtinguentem. Sic ille ſcribit de *Extravagantibus*: *Nobis, aliiſque plurimis populis, quibus Canonicum jus non accipitur, quaſi*

Alber. diſput. 1. libr. jur. can. c. 5. p. 52.

à Papâ, eæ jus non ſunt. Et paſſim magni nominis in Germaniâ Juriſconſulti eodem modo in deciſione controverſiæ propoſitæ progrediuntur. *Utimur conſtitutionibus*, inquit *Arumæus, quibus jus Canonicum eſt refertum. Verùm utimur iis, non ut Pontificiis, ſed tanquam legibus noſtris; & reſpectivè propriis, quæ nobis ſunt propriæ factæ, propter Principum noſtrorum auctoritatem, noſtramque aſſenſionem.* Quam loquendi & diſtinguendi rationem etiam invenio apud *Danielem Ottonem*, qui ita ſcribit: *Canonibus quidem utimur, non ut Pontificiis, ſed tanquam legibus noſtris & reſpective propriis, quæ nobis ſunt propriæ factæ, propter Principum noſtrorum auctoritatem, noſtram aſſenſionem.* Ut ex allegatis textibus ſatis colligatur, adhibitam diſtinctionem alienam non eſſe à modis loquendi Juriſconſultorum.

Arum. de jur. Pub. vol. 5. diſc. 2. p. mihi 119.

Daniel Otto de jur. Publ. Imper. c. 11. p. 331.

Non etiam 2. ratione *materiæ*, quam complectitur, & de quâ agit, Re-

Reformatos Jus *Canonicum* obligat. Fatentur enim & Pontificii, & Proteſtantes, Jus Canonicum ibi, ubi locum habet, verſari circa materiam ſpiritualem, eamque dirigere; idque ad oppoſitionem Juris Civilis, quod cauſas decidit Politicas & Forenſes. Eapropter, quando non agitur de materiâ, concernente peccatum; non etiam recurritur ad Canones, ſed ad jura civilia. Sic loquitur *Windeck*: *Canones ordinarium judicium non ferunt de rebus temporalibus.* In quâ etiam ſententiâ eſt *Zoeſius*, dum ita ſcribit: *Res nec concernens peccati cauſam, nec materiam ſpiritualem, non eſt ſubjecta Canonibus* Et alibi de Solemnibus *teſtamentorum*: *Nam quin in foro civili ſit ſervanda ſolemnitas ſupra dicta; non eſt dubitandum, quòd non poſſit ea videri ſublata per Pontificem, niſi quoad ſuos ſubditos, cùm nec agatur cauſa ſpiritualis, nec ſubſit peccatum.* Quæ ſententia in tantum etiam recepta in Galliâ Papali, ut Pontificis auctori-

Windeck. l. 2. de Conſ. & Diſſ. can. & leg. p. 25.

Zoeſ. D. de Edend. n. 8.

Zoeſ. D. qui Teſtam. fac. n. 46.

ctoritatem tantùm circa res Eccleſiæ, ad oppoſitionem auctoritatis Principis, circa Rempublicam & negotia temporalia occupati, audacter ſcribant. Sic *Petrus de Marca*: *Summi* datur *Pontificis auctoritas, quæ res tantùm Eccleſiaſticas adminiſtrat: Et ſupremum Principis imperium, quod Reipublicæ gerendæ, & rebus temporalibus impenditur.* Quid? quòd ipſi Pontifices fateantur, ſe *pro curſu rerum temporalium leges* ſequi *Imperatorias*: atque eo ipſo deſignent, ſe Canonibus circa negotia ſecularia non occupari, ne diſtincta miſceantur officia. Sic ſcribit *Nicolaus* Papa I. *Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda ſurſùm efferri, non humanâ ſuperbiâ rurſùs in inferna demergi: ut & Chriſtiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices*

Petr. de Marca Concord. Sacerd. & Imper. p. 569.

Can. 8. diſtinct. 10.

pro

pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus uterentur, quatenus ſpiritualis actio à carnalibus diſtaret incurſibus; & ideò militaris Deo minimè ſe negotiis temporalibus implicaret: ac viciſſim non ille rebus divinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſecularibus implicatus. Senſus Pontificis eſt, Canonum diſpoſitioni ſtari in ſpiritualibus: in negotiis ſecularibus non item. Atque etiam in illis locis hanc regulam ſequuntur Proteſtantes, ubi jus Canonum viget: ſecùs, ubi Canones recepti non ſunt. Quo ſenſu accipio illud *Ritterſhuſii*, *Jacobi Coren*, *Henrici Ernſtii*, aliorumque aſſerentium, non habitâ loci „ratione; diſpoſitioni juris Cano„nici ſtari in rebus *ſpiritualibus*, „&, quoties vertitur periculum „animæ: aſt in rebus *ſecularibus*, „& civilibus ſtari diſpoſitioni ju„ris civilis. Cùmque ex jam allegatis teſtimoniis ſatis ſuperquè pateat, Canones non verſari circa negotia ſecularia: nihilque eccleſiaſti-

Ritterſ. huſ. diff. jur. Can. & civil. in procem. p. 20. 21. Coren. conſil. 6. p. mihi 21. Henric. Cathol. jur. c. 11. n. 1.

ſiaſticum, ſpirituale, peccati cauſam tangens, id eſt, nulli Conſcientiæ caſus, in *Foro noſtro*, in *Dicaſteriis noſtris*, decidantur; ſequitur, in iiſdem jus Canonicum, ratione ſuæ *materiæ*, locum non habiturum. Accedit, quòd, quando apud Reformatos negotia Eccleſiaſtica, materiæ ſpirituales, divinæ, pertractantur; earum deciſione quidem ex Canonum jure, quod Pontificum eſt, petatur: tantum abeſt, ut ex tali Pontificum jure Politiæ Reformatæ regerentur. In caſibus enim Conſcientiæ, aliiſque negotiis ſpiritualibus, ad unum canonem, ſed infallibilem, *ſacram ſcripturam*, confugiunt. Atque hîc uſu evenire ſolet, quod de *Imperatorum* legibus ait *Nicolaus* Papa: *Lex Imperatorum non eſt ſupra Legem Dei, ſed ſubtus.* Ita nec *Pontificum* canones auctoritate ſuperabunt *Divinos* canones, à Deo latos; cùm humano jure Divinum jus diſſolvi non poſſit. Et, quemadmodùm *conſtitutiones* Principum, *contra bonos mores*, *nul-*

Can. 1. diſtinct. 10.

nullius ſunt momenti: (ut alibi loquitur *Felix* Pontifex) ſic Decreta Pontificum, quæ jus Canonicum potiſſimùm conſtituunt, ſacræ Scripturæ non conformia, decreta non erunt. Niſi quiſpiam velit etiam Pontifices ſuis Canonibus *poſſe diſpenſare, contra Apoſtolum, contra Concilium, contra canones Apoſtolorum*: atque ita *exemplis, inſtitutis, legibus Chriſti non teneri*, ut alibi id culpat *Juellus*. Ampliùs, dum communiter D. D. ſtatuunt: quando agitur de peccato evitando, & de negotio ſpirituali, tum eſſe recurrendum ad jus Canonicum; hoc effatum illi, qui *Proteſtantes* ſunt, ita determinant, ne intelligatur de Pontificum Decretis, quæ jus Canonicum conſtituunt. Ita enim accuratè & verè *Oldendorpius*: *Cùm de peccato evitando tractatur, etiam in Foro civili, Canonibus ſtandum eſſe, probat Bartol. aliis ſubſcribentibus, in l. privilegia. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. Tu accipe de veris Canonibus Apoſtolicis.*

Can. 4. diſtinct. 10.

Vid. Can. 5. diſtinct. 82. & decret. Concil. Trident. ſuper reform. matrim.

Joh. Juell. Apolog. Eccleſ. Anglic. p. mihi 52.

Olden-dorp. in claſſ. in init. de jur. ord.

Neque 3. Ratione *formæ* in Dicaſteriis *Reformatorum* jus *Canonicum*, auctoritate *juris* gaudet: Cùm enim anima cujuſque legis, quæ eſt ejus forma, ſit honeſtas, ſit æquitas, ſit recta ratio, quam in lege prædominari oportet: (neque enim legi ſubeſſet obligandi vis: cùm nemo ad id quod iniquum, malum, injuſtum eſt, obligetur) Jus autem Canonicum, quod Pontificium, paucis exceptis, abſurdum ſit, inextricabilibus ſcatens contradictionibus, juri Divino atque naturali contrarium; in quantum ejus *formam* conſideramus, apud nos legis vigorem non habebit. Quæ ratio eſt, quòd omnes Proteſtantes in *Germaniâ* Juriſconſulti (ne *Theologos* hîc nominem) in jus Canonum inſurrexerint, illud refutaverint, fuerint deteſtati; quales fuêre *Vigelius*, *Lagus*, *Matthæus Weſembecius*, *Schurfius*, *Baſilius Moner*. *Ritterſhuſius*, aliique plurimi, jam non nominandi.

Zoeſ. D. leg. n. 6.

Et ut innoteſcant juris Canonici

ci ridiculæ *abſurditates*, manifeſtiſſimæ *contradictiones*, ſumma *injuſtitia* atque *impietas*; unum atque alterum tantùm exhibebo exemplum: ut innumera prætermittam, neque actum agere videar, ſi, quod hâc Diſſertatione non mihi propoſui, Canones oppugnare ex profeſſo inciperem.

Illæ (*abſurditates* puta) colliguntur ſatis, ſi quiſpiam advertat ad *rationes*, quibus Pontifices in aliquâ ſententiâ probandâ utuntur. Ita nihil ineptius, quàm illud *Innocentii III.* quo probat, prohibitionem *copulæ Conjugalis quartum* affinitatis gradum non excedere: *Quaternarius verò*, inquit, *numerus benè congruit prohibitioni Conjugii corporalis.* Et ſubjungitur paulò pòſt ratio; *quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis.* Nec minùs ridiculum, quod de *gradibus* dicitur *Conſanguinitatis*: *Ideo uſque ad ſextum generationis gradum conſtituta eſt Conſanguinitas; ut, ſicuti ſex ætatibus mundi generatio,*

C.8. Conſang. & Affinit.

C.4. Conſanguinitas. 35. q. 4.

 ratio,

ratio, & hominis ſtatus ſinitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur. Cui adjiciatur illud *Alexandri II. Quia verò*, inquit, *nuptiæ ſine duabus non valent fieri perſonis; ideo ſacri Canones duas in uno gradu conſtituêre perſonas.*

C. ad ſedem circ. init. 35. q. 5.

Contradictiones, quicquid Canoniſtæ in contrarium nitantur, ſatis ſunt manifeſtæ. Antiqui Canones cum antiquis; antiqui etiam cum novis, ſæpiſſimè pugnant. In *Decreto*, *Concubinatus* eſt prohibitus, non permiſſus. Sic enim ex dicto *Auguſtini* ſtatuitur: *Competentibus dico, fornicari vobis non licet: ſufficiant vobis uxores. Audiat Deus, ſi vos ſurdi eſtis: audiant Angeli, ſi vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet, etſi non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas.* Et tamen intra eandem diſtinctionem contrarium manifeſtè aſſeritur: *Is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen ut unius*

Can. 6. diſtinct. 34.

Can. 4. ejuſdem diſt.

unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ſit conjunctione contentus. Et fruſtrà eſt *Pacius*, & poſt illum *Zoeſius*, dum falſo quo gloſſemate hanc contradictionem auferre ſtudet: ac ſi eo loci per *concubinam* canon intelligat uxorem, quæ ſine inſtrumentis dotalibus ſit ducta. Cum ibi opponantur uxor & concubina: & unum oppoſitum ſui oppoſiti negationem includat. Sic ut concubinæ nomine nec uxor, nec conjunx veniat. Undè etiam in eâdem diſtinctione *concubinam* opponit *conjugi*; quæ concubina, ſi uxor eſſet legitima, *conjunx* appellari potuiſſet. *Chriſtiano*, inquit, *non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantùm, aut uxorem, aut certè loco uxoris (ſi conjunx deeſt) concubinam.* Et alibi ſatis illa *Pacii* conciliatio rejicitur, ubi dicitur: *Paterno arbitrio viris junctæ carent culpâ, ſi mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt; quia aliud eſt UXOR, aliud CONCUBINA.* Denique fru-

Pacius in Iſag. Digeſtor. de Concubin.

Zoeſ. D. eod.

Vid. Ritterſhuſ. de diff. jur. civil. & can. claſſ. 2. cap. 9.

Bezam tract. de divort. p. 252.

Can. 5. ejuſd. diſtinct.

C. non omnis. 32. q. 2.

fruſtrà id negatur, à *Pacio*, quod aliis canonibus manifeſtè evincitur. Non ignota eſt *Innocentii III.* ſententia, quâ Decretum eſt, Sacerdotem *fornicationis* cauſâ non eſſe ſummovendum. Ita ille Lugdunenſi Archiepiſcopo: *Sanè poſtulâſti per ſedem Apoſtolicam edoceri, ſi preſbyteri, plures concubinas habentes, bigami cenſeantur. Ad quod duximus reſpondendum, quòd, cùm irregularitatem non incurrerint digamiæ: cum eis tanquam ſimplici fornicatione notatis, quoad exſecutionem Sacerdotalis officii, poteris diſpenſare.*

C.6. de digam. non ordin.

„Neque ignota in Papatu vox eſt: „*Concubinam* tutò domi haberi „poſſe: *uxorem* autem habere il„licitum haberi Preſbyteris. Neque immemor eſſe debuiſſet *Pacius*, Cardinalem *Campegium*, *Albertum Pighium*, *alioſque complures ſuos docuiſſe, Sacerdotem illum multò ſanctiùs & caſtiùs vivere, qui alat concubinam, quàm qui uxorem habeat in matrimonio.* Alibi etiam ſibi evidentiſſimè con-

Juell. Apolog eccleſ. Anglic. p. 67.

trarii

trarii *Honorius* & *Clemens* Papa. *Ille* voluit, ut *Euchariſtia in loco ſingulari mundo & ſignato ſemper honorificè collocata, devotè ac fideliter conſervetur.* *Hic* ex adverſo decrevit, ut ſi euchariſtiæ reliquiæ remanſerint, *in craſtinum ne reſerventur, ſed cum timore & tremore Clericorum diligentiâ conſumantur.* Ita Decreto alibi *Innocentius III.* manifeſtè contrariatur. *Illud* ſtatuit; *ſi conjuges ſint ſeparati, interveniente divortio, non aboleri confœderationem nuptialem; ſic ut cum illis adulterium committant, cum quibus etiam fuerint poſt ſuum repudium copulati.* *Hic* verò ex adverſo ſtatuit, ut; *qui ab infideli relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſire poſſit.*

C. ſano cum. de Celebr. Miſſarum.

C. 24. de conſecr. diſt. 2.

C. interveniente. 32. quæſt 7.

C. 7. de divort.

Impietatem, injuſtitiam canonibus multis exprimi quis ignorat. Horret animus referre, quàm contumelioſi quandoque ſuis Decretis in Deum, in Reges & Principes fuerint Pontifices. Sic enim ſtatuunt: *Conſtat, Pontificem Romanum Deum appellatum: Nec*

poſſe

C. 7. diſtinct. 96. C. 3. de Tranſl. Epiſc. C. 34. de Elect. Hottom. libr. cui tit. Brutum fulmen. p. mihi 87. Stephan. Szegedinus in Spec. Rom. Pontif.

poſſe Deum ab hominibus judicari, manifeſtum eſt. Alibi: *Et quod Romanus Pontifex ſeparat, non homo, ſed Deus ſeparat.* Item, quòd jus *eligendi regem in Imperatorem, ad Principes Apoſtolicâ ſede pervenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli, à Græcis tranſtulit ad Germanos.* Plura qui volet ſimilia impia & prophana dogmata; apud *Hottomannum* alioſque ea collecta reperiet.

Non etiam 4. Ratione *finis*, jus *Canonicum* apud Reformatos vim *legis* obtinet. *Tum*, quia eo potiſſimùm nomine natum, conſtitutum, auctum, eſt jus Canonicum, illique addita auctoritas; ut Pontifici & Hierarchiæ Papali benè eſſet, eaque ſarta tecta per univerſum Orbem remanens, Principes & Reges ſub pſeudo-Eccleſiæ jugum redigerentur. Qui finis, cùm apud nos ſit exoſus, in tantum etjam, ut, qui illum ſectantur, boni ſubditi in Republicâ Reformatâ eſſe nequeant; ratione ejuſdem

jus

jus Pontificium apud *nos* exulare neceſſum eſt *Tum*, quia (nec aliter juris Canonici ſcopus apud nos obtinere debet) ejus finis eſt, ut intrinſecè homines & humanæ vitæ caſus ad conſcientiæ gnomonem dirigantur, & hominibus quoad æternam ſalutem benè ſit. Undè inquit *Juſtinianus* Imperator, *Canones ſuper ſalute noſtrarum animarum eſſe definitos.* Et, ut alibi *Zoeſius*, jus Canonicum, *quod aliàs divinum appellatur, quatenus à poteſtate divinâ & ſupernaturaliter collatâ latum eſt, & quia de rebus divinis, & ad animæ bonum præcipuè ſpectantibus, diſponit.* Et *Windeck*: *Regulæ Eccleſiæ in foro locum non habent; neque dirigunt externum hominem.* Cùmque in foro ſeculari apud nos leges alium ſibi finem propoſitum habeant; (ſcilicet, Reipublicæ externam quietem & pacem, atque ut hominum actiones externæ dirigantur ad civilem beatitudinem) fruſtrà ad jus Canonicum in foro externo recur-

Authent. de ordin. Epiſcop. nov. 137. zoeſ. D. Juſt. & jur. n. 6.

Paulus Windeck. Theol. Juriſc. p. 6. proprier. 3. cap. 1.

recurreretur. Undè etiam frequentes differentiæ ſervantur inter ſorum *contentioſum*, ſeu Politicum, & *conſcientioſum*, ſeu Eccleſiaſticum; quòd in *illo* omnia ſecundùm leges Forenſes dirigantur, ad Reipublicæ tranquillitatem: in *hoc* apud Reformatos omnia ſecundùm Decalogi præcepta, ſecundum Verbum Dei expendantur, ad Conſcientiæ ſecuritatem. *Ibi* ut actus dilectionis externi dirigantur, formentur: *hic* ut charitatis actus interni magis magiſque perficiantur.

Quibus ita explicatis; evidens eſt 1. *jus canonicum*, ſeu Pontificium, *quà tale*, apud noſtros in uſu non eſſe.

Neque 2. jus canonicum apud nos *legis* auctoritatem mereri; quia *æquum* eſt. Cùm antea à me demonſtrata fuerit ejuſdem in pleriſque iniquitas. Quapropter hiſce diutiùs non immorabor.

Non etiam 3. jus canonicum *legis* vigorem apud nos habere; quia *receptum* eſt. Quoniam, ſi ulla juris

juris Canonici pars apud nos eſſet recepta; ea eſſet, quæ utiliſſima cenſetur, uti eſt DECRETUM. Aſt certum, Decreti in foro noſtro rationem nullam haberi. Prætérquam quòd ſi reciperetur; *juris Canonici* nomen vix mereretur; cùm, quando de eo ſermo eſt, potiſſimum reſpiciantur Canones novi, rejectis antiquioribus. Non etiam DECRETALIUM habenda erit ratio; cùm, fatentibus Pontificiis non in totum poteſta-
„ti Papæ ſubditis, poſteriores
„ Pontificum ſanctiones, conſtitu-
„ tiones, ſint decretis primis pejo-
„ res, eorumque deformatrices.
„ Et notiſſimum illud tritum: *malè cum rebus humanis actum eſſe, ex quo Decretis alæ acceſſerunt.* Quodque ſuis *Clemens* V. pœni-
„ tens, circa vitæ finem, dixit:
„ Clementinas multos laqueos &
„ errores continere; ideoque igne
„ Cremandas eſſe. Verum non eſt probabile, nos peſſimam juris Canonici portionem, apud multos Papanos improbatam, pro *jure* rece-

Duar. Præf. de Sacr. Eccleſ. Miniſter.

recepiſſe. Cùmque ſub Principibus Pontificiis, in Belgio nulla Pontificum Decreta, aut Reſcripta, legis effectum ſortirentur, niſi eſſent recepta; (ſic enim ſonat *inſtructio Curiæ Holl.* **Ende en ſullen geen Bullen of Reſcripten Apoſtolique binnen deſe Landen te wercke geleyt mogen worden/ ſonder al voren van ons behoorlijck** placet **geobtineert te hebben.**) Quis aſſereret, jus Canonicum unquam receptum fuiſſe? niſi probet, illud ipſum, vel potiſſimam ejus partem, Ordinibus Provinciarum placuiſſe, eorumque Decretis approbatum eſſe.

Merul. Prax. Civil. l. 1. tit. 4. c. 1. art. 19.

Sed ne videar mihi in deciſione Statûs controverſiæ nimium fidere, præſertim cùm diſputetur de conſuetudine, deque facto, *utrum jus Canonicum apud nos R E C E P T U M S I T*? & Juriſconſulto, in Academiâ de uſu recepto diſputanti, fortè tantum fidei, ex pravâ nonnullorum opinione, non tribueretur; ideo meam aſſertionem auctoritatibus virorum Præſtantiſſimo-

ſimorum munire decrevi. Cùmque nihil magis probet, jus Canonicum apud Reformatos receptum non eſſe, quàm ſi ſic ſtatuant *Pontificii*, eoque nomine Reformatos perſtringant; eorum teſtimonia in fronte collocare viſum fuit. Si enim noſtri Adverſarii perpetuò clamitent, noſmet negare, quòd Canonibus obſtricti ſimus; turpe certè eſſet, ut contra illorum confeſſionem noſmet jugo Canonum ſubjiceremus. Sic Pontificius *Paulus Windeck* refert de Proteſtantibus Juriſconſultis in Germaniâ, Canones rejicientibus: *Ad hos de poteſtate Pontificiâ Canones reſpondent Sectariorum juriſconſulti, generatim iis ſe non teneri, & hujus immenſi imperii ſomnia in jure civili non reperiri; cujus ſolius auctoritati, & non Canonibus, ad aſſentiendum ſint obſtricti.* Idem Autor alibi: *Sectarii Canones flocci pendunt, & aſſiduò leges flagitant.* Nullum certè pro meâ ſententiâ judicium evidentius allegari poteſt.

Windeck Theolog. Juriſc. loc. 7. circ. fin.

Idem. loc. 33.

Sed

Sed, ne diſſentienti anſa elabendi relinquatur, haſce noſtras attingam Provincias, quas fœderatas appellant. De quibus in hunc modum ſcribit *Zypeus*: *Ditiones Belgicæ, unà, cum obedientiâ nativi Principis, jugum Eccleſiæ excuſſerunt.* Ut vel hinc appareat, jam non ampliùs ſervari canones à Provinciis unitis, ſi unquam antehàc ſemet iiſdem adſtrinxerint. Verum quòd nec quondam eos ſervaverint, non obſcurè ex *Zypæi* ſenſu colligi poſſet; qui ita de *Provinciis*, ut erant ſub Principibus Pontificiis, loquitur. *Quin & olim* inquit, *in Tribunalibus ſecularibus, poſt conſuetudines, ſtatuta & edicta, tertio gradu locum fuiſſe canonibus; haud obſcuris conjecturis fortè deprehendi poteſt.* Auctor hîc adeò dubitanter loquitur; ut ſatis indicet, nihil certi circa Canonum jura, *Utrum quondam obtinuerint; nec ne?* ſtatuendum eſſe. Concludam igitur verbis *Alberici Gentilis*: *De omnibus juris Canonici libris, quid hic dice-*

Zyp. jur. Pont. nov. Anal. Enarr. lib. 4. p. nuti 414.

Idem p. mihi, 18.

Alber. Gentil. diſput. jur. can. lib. 1.

dicemus? Et alibi: *undè Papæ exulat omnis auctoritas & religio? Procul dubiò nihili eſt; cùm Papæ auctoritatem ullam, aut in aliquo religionem inducit Papæ.*

Atque hæc quidem ad ſententiæ propoſitæ CONFIRMATIONEM ſuffecerint. Æquum eſt, ne quippiam intactum maneat, ut, quæ DUBIA adverſus noſtram ſententiam moveri poſſent, explicentur, atque removeantur.

Et quidem *primò* vehementer *obſtare* videtur, quòd Canones *ab imperatoribus fuerint approbati*; adeoque robur *legum* atque *Conſtitutionum acceperint. Canones enim* Imperator *Juſtinianus ſicut ſanctas Scripturas accipit, & regulas ſicut leges obſervat.* In tantum, ut etiam *leges non dedignentur ſequi ſacros Canones.* Quod dictum Imperatoris etiam jus Canonicum in majorem ſui auctoritatem amplectitur: & pro confeſſo acceptantes Pontifices, ſæpè in ſuis Reſcriptis inculcârunt, verbis *Juſtiniani* Principis ſæpiſſimè abuten-

Novell. 131. c. 1. L. 7. Cod. ſumm. Trinit. Novell. 83. c. 1. C. 8. de judic. C. fin. de ſec. Nupt.

C. 1/2. de Oper. nov. Nunc. tes. Verùm *Reſpondeo* 1. Imò & Canones non dedignantur ſequi Sacratiſſimas leges iiſque adjuvari. Ut adhuc par legum & Canonum foret auctoritas. *Reſpondeo* 2. In textibus juris civilis allegatis, non tam loquitur Imperator de *jure Canonico*, quod *Pontificium* eſt (de quo potiſſimùm quæſtio) quàm quidem de *Regulis* & *Canonibus quatuor Conciliorum œcumenicorum*, ſcilicet *Niceni*, *Conſtantinopolitani*, *Epheſini*, & *Chalcedonenſis*. Quæ quia aliquoties laudat Imperator; fruſtrà ad alia vel conciliorum, vel pontificum, decreta trahitur. Ubi enim lex non ampliat, ibi noſtrum non erit aliquid ampliare. Aſt certum, conſtitutionibus *Juſtiniani* tantum inculcari Conciliorum quatuor obſervantiam. *Sancimus*, inquit Imperator, *vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor conciliis expoſitæ ſunt, aut firmatæ*. Licet igitur Romani Pontifices etiam ſua quælibet

L. 7. § 4, 5. Cod. SS. Trinit. Novell. 131. c. 1. Ritterſhuſ. de diff. jur. civ. & can. in proœm. p. 5.

bet Reſcripta Canones appellent; *nimis magnum tamen poſtulatum eſſet*, ſi eoſdem cum prioribus Canonibus parem vim obtinere vellent. Sic enim iſti Canones non tantùm leges eſſent, quia probarentur ab Imperatoribus: ſed quia à Pontificibus eſſent ſtatuti, qui ſe Principibus ſuperiores hâc ratione demonſtrarent. *Reſp.* 3. Quando Imperator Canones conciliorum approbat & commendat; id certè nobis, ſaltem Reformatis, *cum grano ſalis* eſt accipiendum. Nimium quippe in Decretorum eccleſiaſticorum confirmatione ſuperſtitioſus fuit Princeps *Juſtinianus*; & majorem, quàm Chriſtianum decebat, iiſdem auctoritatem tribuit. *Prædictarum*, inquit, *quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas Scripturas, accipimus*. Per abſurdè. Concilia quippe & Canones recipimus, qui Reformatam profitemur religionem, in quantum *Sacræ Scripturæ*, ducis infallibilis veſtigiis inſiſtunt: non in quantum ſunt

Novell. alleg. Ritterſhuſ. ad Novell. part. 1. c. 2. n. 17.

aut Concilia eccleſiæ, aut à principibus confirmati. Fruſtrà igitur hîc allegatur Imperatoris dictum in uno, niſi etiam in alio recipiatur: quod tamen apud noſtros non obtinet. Neque qui ab hâc parte legem amplectitur, ab illâ eandem repudiare poterit.

Arg. l. 24. D. leg. *Reſp.* 4. Qui Canones, quæ decreta eccleſiæ Conciliorum, ab Imperatore ſunt recepta, de ſe auctoritatem juris non habebant. Verùm non aliter, ac *conſuetudo* in Imperio vim legis non obtinet, niſi ab imperatore fuerit comprobata: quo ſenſu illud *Conſtantini* accipio: *conſuetudinem non uſque adeò* per ſe *valituram, ut vincat* (L. 2. Cod. quæ ſit long. Conſuet.), *aut rationem, aut legem*) ita etiam *Canones Eccleſiarum* nullius in noſtrâ Republicâ ſunt auctoritatis, ſaltem ut leges non ſervabuntur, niſi iiſdem legum auctoritatem Princeps, cujus ſolius eſt leges condere, addiderit. Et, quemadmodum Imperator *Antoninus* voluit (L. 1. 2. §. 1. Cod. de legib.), ut Rhodienſes, qui legis condendi poteſtatem nullam habebant

bant, quæſtiones nauticas ſecundum ſuas leges, puta ab Imperatore approbatas, judicarent: ita voluit *Juſtinianus*, ut Eccleſiaſtici ſecundum ſuos Canones, nullam de ſe auctoritatem legum, ſed omnem à confirmatione benignâ imperatoris, habentes, cauſas eccleſiaſticas deciderent. Si enim Canones ex ſeſe efficaciam legum obtinuiſſent; fruſtrà confirmatio Imperatoria acceſſiſſet. Præterquam, quòd Canonum conditores, quales erant Eccleſiaſtici, ſuum habere forum debuiſſent, ſuam juriſdictionem, modicam coërcitionem; ſine quâ juriſdictio eſſe, aut exerceri, non poteſt. Cùm tamen contrarium ex jure *Civili* colligatur: ubi Epiſcopis, inter Eccleſiaſticos dignitate præeminentibus, non juriſdictio tribuitur Epiſcopalis, verùm tantùm *Epiſcopalis audientia.* Et alibi Imperator ſe vindicem & defenſorem Canonum profiteatur, tanquam ſuarum legum, ut quos ipſe approbaverat; adeoque, quos ſancti Canones damnant,

L. 2. D. júriſd. l. ult. D. Offic. ejus cui mand. Tot. tit. Cod. de Epiſc. Audient. Cujac. Parat. Cod. ibid. Novell. 6. L. 7. §. 4. Cod. ſum. Trin.

ipſe damnat: quique ab iis anathemizati ſunt, eoſdem anathemizare dicitur. Aliter ſi ſtatuatur; ſequeretur etiam, antequam ullam Canonibus auctoritatem addidiſſet Imperator, ſufficientem illis ineſſe obligandi efficaciam. Quod abſurdum. Tribonianus, unà cum *Theophilo* atque *Dorotheo*, conſenſu *Juſtiniani* Imperatoris
§. 6. proœm. Inſtit. *quatuor Inſtitutionum* libros in unum collegit. Neque tamen illa collectio, quia à privatis facta, ullam habebat auctoritatem, antequam ei robur Conſtitutionum Imperator accommodaſſet. Ita etiam *Canones eccleſiaſtici*, & per conſequentiam totum jus Canonicum, in Provinciis noſtris, vel ante Reformationem, vel ſtante Reformatione, conſtitutionum robur non habuerunt, aut jam habent, antequam ſint recepti. Neque aliter vim juris obtinent, niſi in quantum fuerunt ac jam ſunt acceptati & comprobati.

Itaque, qui apud nos qui *Reformati* appellamur, Canones volunt

lunt in foro locum habuiſſe, aut jam habere, audiendi non ſunt; niſi probent, eoſdem à principibus noſtris, id eſt Ordinibus, eſſe receptos. Et quidem ita, ut in foro Politico vim *legis* obtinerent. Verum ubi apparent illa Reſcripta? ubi conſtitutiones eorum, qui hodiè apud nos Reipublicæ præſunt? Proferantur. Neque, ſi fortè olim voluerint Principes, jus Canonicum eſſe receptum, jam apud Reformatos Proceres, qui id fatentibus Pontificiis ejurârunt, eſſet receptum. Eâdem quippe conſequentiâ inferri poſſet, in Dicaſteriis earum Provinciarum *Concilium Tridentinum* locum habere; quòd id olim in hiſce etiam Provinciis, ſed ſine ſucceſſu, *Philippus* ejus nominis II. non tantum publicari, verum & ſtrictè obſervari, juſſerit: uti teſtatur Provinciarum tunc temporis Gubernatrix, *Margareta*, Duciſſa Parmæ & Placentiæ, ſuis litteris 24. *Jul.* 1565. datis. Et certè nemo adeò ſtupidus, ut auſit aſſe-

rere, Reformatos in Belgio in ſuis Conſiſtoriis, Claſſibus & Synodis, in quibus de cauſis, Eccleſiæ regimen, animarum curam, hominis conſcientiam, concernentibus agitur, recurrere aut debere, aut conſueviſſe, ad jura Canonum, vel antiqua, vel nova. Cùm tamen, ſi jus Canonicum apud Reformatos in uſu eſſet, inter Eccleſiaſticos in negotiis eccleſiaſticis recipiendum foret: non in foro civili, ubi cauſæ ſpirituales nec ventilantur, nec deciduntur.

Johan. Faber ad tit. Inſtit. jur. nat. Gent. ad verb. *ex non ſcripto*. n. 3. Merul. Prax. civil. l. 1. tit. 5. c. 2. § 7. Inſtit. de Satiſdat. Vult. juriſpr. Rom. Proleg. Zoeſ. D. juſt. & jur. n. 6.

Explicatâ priori difficultate, ſupereſt *altera*, quæ etiam admodùm *obſtare* videtur. Scilicet, quòd, cùm in procedendi modo ſervata conſuetudo (qui *ſtylus curiæ* appellari ſolet: in jure civili *formâ*, & *judiciorum uſus*) ex jure Pontificio hauſta ſit: &, ut loquitur Zoeſius, *Ordo judicialis modernus magis ſit accommodatus præſcripto Canonum, quàm legum*: videbitur ſaltem, hâc in parte jus Canonicum *legis* auctoritatem in Dicaſteriis Reformatorum obtinere

nere. Verùm *Reſpondeo*, licet ordo, qui in litis progreſſu ſervatur, in pleriſque ex jure Canonum, præſertim *Decretalium* libris, peteretur; (quod non ita fieri, mox declarabo) hinc tamen malè colligeretur, jus Canonicum in Dicaſteriis Reformatorum *legis* vigorem retinere. Id enim demum vim legis obtinet, quod judicem in quæſtionibus, controverſiis, merita cauſæ ſpectantibus, decidendis ſequi oportet; ſic ut obligetur, ſecundùm jus propoſitum ſententiam ferre: Verum quidem eſt: qui ordo in judiciis frequentatur, quia concinnus & Foro noſtro conveniré videbatur, ab hominibus eruditis excogitatus, à principibus approbatus eſt, additis nonnullis, quæ conſuetudine Curiæ invaluerunt, vim legum obtinet. Non tamen licet in multis conveniat cum Canonibus, quia ipſos Canones reſpexerunt noſtri Principes, approbatus eſt, aut receptus: ſed, quia à Juris peritis collectus, æquitatem continere

deprehendebatur. Aſt quid hâc ratione Principibus negotii cum jure Canonum? Quid ſi fortè quiſpiam libellum concinnando, quædam non indocta, vel ex *Alcorano* Turcico, vel Judæorum *Thalmude*, illi inſerat: dein Chriſtianus Theologus eundem libellum approbet, non habitâ ratione earum ſententiarum, quæ ex Alcorano, aut Thalmude petitæ ſunt, verum eas tantum ſententias ut æquas intueatur; anne hinc inferri poſſet Alcoranum, aut Thalmud, à Theologo *approbatum eſſe*? Ita, ſi nonnulla judiciorum progreſſum ſpectantia eo, quo in Canonibus proponuntur, modo uſu ſint recepta & approbata; malè hinc colligeretur, jus Canonicum, aut aliquam ejus partem, auctoritatem *juris* in Curiis Reformatis obtinere. Verùm, quod verius eſt, ordo *judicialis* pro parte, origine inſpectâ, ex jure *Civili* hauſtus eſt: Cùm enim jure Canonico jus Civile ſit antiquius, atque Pontifex in Decretalibus condendis, quod

in

in iis boni eſt, ex jure Civili deſumpſerit. Sic enim de *Decretalibus* loquitur *Albericus*: *Gregorius, auctor hujus collectionis, ut aliquid in ea poneret de ſuo, ex jure civili, ultrò, non aditus à conſultoribus, pleraque ſumpſit, & inſeruit.* Quod etiam *de Decreto* aſſerit *Ritterſhuſius*; multa juris civilis loca ei eſſe inſparſa, ex *Pandectis, Codice, Novellis*, hauſta: quas leges Canonizatas vulgò dicunt. Et alibi: *Ex ſolo jure civili habuiſſe Pontifices, quod peterent exornandorum ſuorum decretorum gratiâ.* Dicendum erit potiùs ad fontes puros, quàm ad Canoniſtarum lacunas recurri; adeoque ordinem judiciorum, quoad pleraque quæ habet, juri Civili acceptum ferendum eſſe. Cùmque Canones in multis ſecuti leges proceſſum judiciarium indè hauſerint; potiùs archetypon, quàm ectypon, reſpiciendum eſſe, nemo iverit inficias. Niſi quis utrumque conjungere malit; ut ita ex utriuſque collatione, quoad *ordinem judiciorum* in multis, quæ-

Alber. de libr. jur. Can. diſp. 1. c. 1.

Windech. c. fin. de conſ. can. leg.

dam convenientia deprehendatur: Quod etiam innuere viſus eſt *Imbertus*; cùm ſic ſcriberet: *Nam quid in jure Pontificio, vel Cæſareo, extat, modò ad judiciorum ordinationem pertineat, quod ad ſcripta hæc noſtra non poſsit accommodari?*

Ymbertus in Præfat. inſtit. Forenſ.

Quod verò ſpectat ſformam & *procedendi* modum in quo à jure civili receſſum eſt, nec etiam eâdem meo judicio juri Canonico acceptum ferendum eſſe, ſtatuerem: ſed potiùs *Gloſsis* & *Interpretationibus Doctorum*, qui ad jus Civile commentati fuêre. Itaque illi quandoque vel conſequentias nectendo, vel jus civile malè explicando, vel aliquid de ſuo ſupplendo, talem ſuis ſcriptis ordinem judiciarium, nonnihil à juris *Juſtinianei* formâ recedentem poſteris reliquerunt. Quem cùm ſequamur; minùs accuratè dicemur, quoad ordinem judicialem, jus Canonicum ſequi. Cum, ut loquitur *Ritterſhuſius*, *in multis Canonicum jus è Gloſſarum lacunis hau-*

Ritterſhuſ. diff. jur. civil. & Can. in procem. init. & p. 23.

hauſtum ſit.

Verum *tertiò* objicerent fortè nonnulli; in multis negotiis jura Canonum locum habere: uti in *cauſis BENEFICIALIBUS, MATRIMONIALIBUS, TESTAMENTARIIS*, &c. Sed, ut talibus morem geram, neque evitare videar Difficultates, memet potius in eas ingeram, & eò facilior dabitur earundem ſolutio.

Idem ibidem p. 12.

Quod ſpectat *BENEFICIALIA*; fatebor lubens, eorum deciſionem è jure Canonum communiter peti: atque hactenus in illis Canones (ut loquitur *Grotius*) *vim legum obtinuiſſe*. Sed addam ſenſum genuinum, ut eundem expreſſit *Neoſtadius*: (ad cujus locum *Grotium* reſpexiſſe, non improbabile mihi videtur) *Canonum jure, inquit, utpote Principum noſtrorum patientiâ, recepto in beneficialibus, quoties juri divino, boniſque moribus non repugnat, utimur.* Verùm hinc nihil inferri poterit, quod vel minimum

Grot. introd. juriſpr. Holl. lib. 1. c. 2. Neoſtad. deciſ. ſup. ſen Mechlin. 22.

meæ ſententiæ adverſetur. In uno articulo, ut ita loquar, patientiâ Principum, quidam Canones ſunt recepti: neque id indiſtinctè, verum in quantum juri divino & æquitati non repugnant. Ergon' jus Canonicum, vel quatenus eſt æquum, vel quà Canonicum, vim legis habebit? quæ hæc conſequentia? Non efficacior, quàm ſi quiſpiam progrediatur à particulâ ad totum; à minimo ad maximum. Sed efficacius reſpondeo retorquendo argumentum in Adverſarios. Quia jus Canonicum in *beneficialibus* locum haberet, in quantum non eſſet juri Divino contrarium; infero, non eſſe recipiendum jus Canonicum in illis beneficialibus, cum in iiſdem juri divino adverſetur. Certum enim, jura *Patronatus*, *Præbendas*, *Canonicatus*, *beneficia Eccleſiaſtica*, *&c.* eſſe juris Canonici inventa. Et, licet de *Patronatibus* nonnulli ambigant, propter textus juris Civilis: in iis tamen nihil invenio, quod ſeculari jus tribuat nominandi, vel (uti dicunt)

præ-

præſentandi, Epiſcopum, qui Eccleſiæ Paſtor erat (in minoribus enim ordinibus id receptum fuiſſe de jure civili, non nego) ad beneficium vacans. Et certum etiam, eadem omnia Sacræ Scripturæ minus eſſe conformia, quæ circa ea ventilari ſolent. Itaque inferam, in talibus non recipiendum eſſe jus Canonicum, ſecundum reſtrictionem à *Neoſtadio* adhibitam; quòd in iis aliquid ſtătuat, quod eſt juri Divino minùs congruum. Neque enim ignorat, qui in Scriptis Theologorum Reformatorum mediocriter verſatus eſt, (ſaltem ignorare non debebat) omnia nomina Papalis hierarchiæ, inter cætera Jura *Patronatûs*, è Papatu ad Reformatos abuſivè tranſlata fuiſſe; ſic ut Eccleſia ratione juris Patronatûs ſæpiſſimè conqueſta ſit, ac ſi ſub jugum ſecularium redacta eſſet. Adeò, ut verè dixerit *Ritterſhuſius*; *quòd pro ſervitutis cujuſdam ſpeciè hodiè illa præſentandi facultas ſit habita.*

Novell. 123. c. 18. Cujac. ad Novel. 57. Rev. Parens D. Gisbertus Voet. in Diſp. de jur. Patr.

Ritterſ. huſ ad Novell. part. 1. c. 7. n. 77.

Ne-

Neque his *obſtabit*, quòd in aƈtis *Synodi Nationalis Dordacenæ* jus *Patronatûs* videatur approbatum fuiſſe. *Reſpondeo* enim, non meis, ſed honorandi Parentis verbis; cui idem quondam fuerat objeƈtum: *quòd ſcilicet, à Synodo Nationali Dordracenâ, an.* 1619. *Jus Patronatus eſſet approbatum. Et eſſent Provinciæ, ubi Eccleſiæ complures nunc pacificè illo jure utuntur; adeoque bonâ conſcientiâ patronos illud jus ſibi vindicare & uſurpare.* 1. *Eccleſiæ Reformatæ apud nos nunquam probarunt tanquam jus Divinum, aut jus antiquum eccleſiaſticum, aut jus Politicum: (quia nihil tale eſt) ſed tolerârunt tantùm tanquam defeƈtum, & malum, quod tolli non poterat; quo ipſo tamen non tranquillatur Patronorum conſcientia. Eſt enim regula hæc notiſſima apud Caſuiſtas, poſſe quem piè & bonâ conſcientiâ aliquo in caſu tolerare alterius peccatum; (pietate illâ verſante immediatè circa tolerantiam; non verò circa peccatum) adhæc*

D. Giſbertus Voet. loc. cit.

poſſe

poſſe quem alterius peccato (ſeu potiùs bono aliquo, cum quo peccatum per accidens conjunctum eſt) rectè uti: neminem tamen poſſe bona conſcientia illud facere. Sic e. gr. toleratur aliquando à Magiſtratu idololatria, & David tolerabat Joabi cædes. Rurſum, utitur quis uſurario Judæo, & ab eo mutuum petit; item Dux belli cive perjuro & proditore, ut civitatem hoſtilem tradat, &c. Neutri tamen licitum eſt hoc agere. 2. De Synodo Dordracenâ ſic ſe res habet. Approbabat illa abſolutè conſtitutiones Eccleſiaſticas conſcriptas in Synodo Hagæ-comitanâ, anno 1586. & decernebat ab Illuſtr. ac præpot. DD. Ordinibus confirmationem Politicam earum petendam. Sed interpellabant DD. Delegati Illuſtr. Ordd. monentes res ſuas & tempora tunc minimè ferre, ut planè Jus illud tolleretur: præſertim cùm alicubi in Provinciis aliquot illius uſus adhuc vigeret. Immò Nobiles certæ Provinciæ nullâ ratione talem communem

Ordinem Eccleſiaſticum probaturi eſſent: quippe qui in convocationem Synodi Nationalis non conſenſerant, niſi ſub hâc cautione: ne quid in præjudicium hujus juris iſtic ageretur; cogitaret ergò Synodus potiùs de ejus reformatione & limitatione. Quid faceret Synodus? Volens nolens poſt omnes admonitiones & obteſtationes, tandem toleravit clauſulam illam capiti de Electionibus adſcribi: SALVO CUIQUE JURE PATRONATUS, &c. Quia aliter non poterat, & quia certa ſpe jam devorabat tam neceſſariam confirmationem ILL. DD. ORD. TOTIUS BELGII. Quia etiam credebat nonnullas tantùm Provincias hoc incommodo alicubi laboraturas; putabat itaque præſtare, ut omnes Provinciæ ordinem aliquem Electionum publica authoritate ſtabilitum haberent, quàm ut propter paucas eccleſias patronatas, reliquæ non patronatæ ſolenniter authoriſato ordine & communi toti Belgio unà cum patronatis perpetuò carerent. Nec clauſulam illam

lam ita nudè paſſa eſt intrudi, ſed cum iſtis limitationibus, de quarum receptione minimè dubitabat, &c.

Ampliùs. Quod ſi fortè nonnulla vim *legis* apud nos obtinerent, quæ in Canonibus reperiuntur, in quantum, ratione & æquitate inſpectâ, relicto juris Civilis rigore, generali conſuetudine moribuſque plerorumque populorum ſunt aſſumpta; (ut, *in pleriſque actibus duos ſufficere teſtes*; *ex nudo pacto dari actionem*: & ſi quæ ſint hujus generis alia) illa tamen non quòd ex jure Canonum fluxérint, apud nos, aut alios obtinent: aſt quòd *ſacræ Paginæ* ſint conformia, quibus Chriſtianus homo, tanquam actionum ſuarum regulâ infallibili regitur. Etiam quòd homines, judicio recto & ſecundum Gentium jura, circumſtantias expendentes, exiſtiment & judicent, ſic ſuo convenire regimini & ſtatui publico.

Atque hoc reſponſi ferat, quiſquis in *beneficialibus* Canonum

jura

jura locum habere velit. Jam videndum, utrum Canones in cauſis MATRIMONIALIBUS loco regularum infallibilium ſint apud Reformatos, aut Proteſtantes à Papatu ſecedentes? Ita forrè dicent nonnulli minùs in librorum lectione, aut praxi Eccleſiarum Belgicarum verſati: ſic tamen, ut mera proferant verba, mera commenta. Quid quòd *Proteſtantes* paſſim in cauſâ matimoniali jus Canonicum explodant, ut verbo Divino è diametro adverſum. Ita *Monerus*, *Acacius Enenckelius*, *Baro*, aliique reprehendunt Canones, ut minùs limatos circa cauſas matrimoniales. Et propterea in Germaniâ apud Proteſtantes in Conſiſtoriis, ſi qui incidant caſus matrimoniales, non ſecundùm ſed potiùs contra jus Pontificium decidi ſolent: uti videre licet ex *Beuſtio*, aliiſque caſus matrimoniales explicantibus. Apud *Pontificios*, non inficior, quæ negotia matrimonia ſpectant, ſecundùm Canones explicari: verùm & ibi ea alterius

D. Anton. Matthæus lib. de jud. diſp. 2, n. 45. Et diſputat. de Divort. theſ. ult.

terius, ac quidem apud *Reformatos*, ſunt fori. *Hodie*, inquit Zoeſius; *quia cauſa matrimonialis eſt fori eccleſiaſtici, deſponſatio ſuper ea, non à Principe, qui ſpiritualibus ſe non immiſcet, ſed à Romano Pontifice eſt petenda.* Verius à *Sanden*, poſt *Calvinum* alioſque ex ſenſu omnium Reformatorum; *Secundùm ſaniorem ſententiam, inquit, cauſa matrimonialis Politica potiùs & Civilis eſt, quàm Spiritualis; ideoque hodie in foro ſeculari & hìc coram Curia pertractatur.* Et ante eundem accuratiſſimè *Ritterſhuſius*, qui hunc in modum „ ſcribit. Ita quidem velint Ca„ noniſtæ Pontificii, quaſi matri„ monia regantur jure poli, non „ fori. *C. fin. de Secund. Nupt.* Verùm id falſum eſſe, expreſſis verbis declarat *Ritterſhuſius*. Quod „ laici dicuntur nullam habere ju„ riſdictionem in cauſis matrimo„ nialibus, id falſum eſt, & in Im„ peratores contumelioſum, quo„ rum reſcripta plurima de matri„ moniis in *lib. 5. Cod.* extant, de quo,

Zoeſ. D. Nupt. n. 22.
Calvin. 4. Inſtit. 19. in fin.
Sanden l. 1. tit. 3. def. 2.

Ritterſ-huſ. de differ. jur. civil. & can. claſſ. 2. cap. 3. in fin.

„quorũ firmitate non licet ſine cri-
„mine læſæ Majeſtatis dubitare:&
eſſet hoc proximum Sacrilegio cri-
„men. Ad illud autem *C. fin. de*
„*Secundis Nupt.* reſpondetur, eſſe
„ex jure Pontificio poſteriore &
„ſequiore, cùm jam Pontifices Ro-
„mani ſecularem poteſtatem ma-
„gnopere enervâſſent & imminu-
„iſſent, multaque ad eam perti-
„nentia invaſiſſent. Nihil igitur
„moramur anathematiſmum,
„Concilii *Tridentini* in *Can.* 12.
„qui ſic habet: *Si quis dixerit,*
„*cauſas matrimoniales non ſpectare*
„*ad judices Eccleſiaſticos anathema*
„*ſit.* Siquidem hoc volunt illi Pa-
„tres, (ut certè volunt) ad Eccle-
„ſiaſticos ſolos pertinere. Oppo-
„nimus autem ipſis conſuetudi-
„nem & auctoritatem veteris Ec-
„cleſiæ, quæ nunquam cauſas
„matrimoniales ita ad ſuum fo-
„rum tranſtulit, ut prorſùs exclu-
„deret Politicum Magiſtratum;
„præſertim ſi Chriſtianus eſſet.
„Nam leges ferre, pertinet ad ma-
„giſtratûs officium, ut rectiſſimè
„*Mar-*

„ *Martin. Chemnit.* ad illum Ca-
„ nonem notavit. Et alibi demonſtrat pauciſſimis verbis; matrimonium eſſe juris civilis & privati, non publici, non ſacri.

Claſſ. 1. cap. 1. num. 3.

Idem dicendum de TESTAMENTIS, Reformatos ſcilicet non ſequi in condendis *Teſtamentis* Canonum ſolemnitates. Id ſaltem evidenter verum de Provinciâ *Friſicâ*, in quâ *ſeptem teſtium* numerus, quæ ſolemnia erant juris Prætorii circa teſtamenti factionem, præciſè requiritur. Et licet in aliis Fœderati Belgii Provinciis illa juris Civilis abundans cautela non deſideretur: non tamen Canonicas ſolemnitates adhibent. Certum enim, Teſtamenta apud noſtrates non ſolere confici *coram Parocho*, vel *Concionatore*, & *duobus teſtibus*: quod tamen ad valorem teſtamenti de jure Canonum requirebatur. Et, licet *duo teſtes* apud nonnullos ſufficiant, non id tamen ex mente Pontificis, ſed ex jure Gentium, ex textibus ſacris, qui ad actus nonnullos

Sanden. l. 4. tit. 1. def. 4.

C. 10, 11. de Teſtament.

nullos quandoque non amplius quam duos teſtes exigunt, deprom-ptum eſt. Non quòd jus Divinum prohibeat pluralitatem teſtium, in majorem rei ſecuritatem: (ſic enim meritò quiſpiam dixerit, Diplomatibus fruſtrà adhiberi ſigilla ad faciendam fidem, cum jus Divinum tantùm exigat duos teſtes, & præterea nihil: quæ Gloſſa, ut abſurda, textum corrumperet) ſed quòd ſtatuat in rei probationem & ſecuritatem *ad minimum requiri duos teſtes*, plures adhiberi poſſe, pauciores non poſſe; quòd (quemadmodùm Imperator *Conſtantinus* ait) *unius omninò teſtis reſponſio non audiatur*. Et hoc etiam ſuadet Ratio: cùm per unius affirmantis dictum & alterius accuſati, id quod affirmatur negantis, res æque incerta ac dubia maneat, atque anteà. Quod ſi jure Divino *duorum teſtium* numerus eſſet determinatus; uti nonnulli volunt, fruſtra eum indeterminatum relinqueret textus ſacer, dum ſcribit: *in ore DUORUM teſtium aut*

L. 9. Cod. Teſt.

Deuteron. 19. verſ. 15.

TR I-

TRIUM ſtabit omne verbum. Et, *ne adverſus preſbyterum* 1 Tim. 5.
admittatur accuſatio, niſi ſub ver. 19.
DUOBUS, aut TRIBUS,
teſtibus. Et ſi *duorum teſtimo-*
nium idoneum eſt, ut inquit Johan. 8.
Salvator; (id eſt, uti nonnulli verſ. 17. Deute-
volunt, plures duobus adhibe- ron. 17.
ri non debent) fruſtrà ſacra Pa- verſ. 6.
gina, tam in Veteri, quàm in 2 Co-
Novo Teſtamento, mentionem rinth. ult. verſ. 1.
trium teſtium injiceret. Senſus itaque S. Scripturæ eſt, ad minimum duos teſtes in omni negotio eſſe adhibendos, illoſque ſufficere poſſe, non autem ſemper debere; illos eſſe *idoneos*, ſecundùm dictum *Chriſti*, id eſt adverſus accuſatum fidem mereri. Idque ad oppoſitionem & excluſionem teſtimonii ab uno adverſus unum prolati, non ad excluſionem trium, quatuor, aut plurium teſtium, prout circumſtantiæ ſecundum judicium Rationis plures, vel pauciores teſtes requirunt. Hanc expoſitionem, adeoque ſenſum à me adhibitum, talibus S. Scripturæ

locis, ubi de teſtimonii dictione agitur, ſuadent evidenter duo S. Scripturæ loca, ex parte antea allegata: quorum unus ita ſonat: *In ore DUORUM teſtium, vel TRIUM teſtium, interficietur, qui moriturus eſt: non autem interficietur in ore teſtis UNIUS.* Alterius loci hæc ſunt verba: *Non ſtabit teſtis UNUS contra quemquam in quacunque iniquitate, & in quocunque peccato; in quocunque peccato, quod peccaverit. In ore DUORUM teſtium, aut in ore TRIUM teſtium, ſtabit verbum.* Undè alibi teſtes in *plurali* numero collocantur, non expreſſo certo numero; idque tantum ad excluſionem teſtis ſingularis, non ad excluſionem plurium. Unde, ſi plures ullo jure civili adhiberētur, id non eſſet contra jus Divinum. Ita enim textus loquitur: *Quicunque percuſſerit aliquem, ad verbum TESTIUM occidet homicidam: ſolus enim teſtis non teſtificabitur in animam, ut moriatur.*

Deuteron. 17. verſ. 6. Deuteron. 19. verſ. 15. Numer. 35. verſ. 30

Aliter etiam ad textus allegatos reſpon-

reſponderi poſſet; illos loqui de teſtibus *judicialibus* alicujus *facti*, cui fortè adfuerunt: non verò de teſtibus ad *teſtamentum*, vel aliam ultimam voluntatem adhibitis. Adeoque illam regulam de *duobus*, vel *tribus teſtibus*, tunc demum locum habere, cum numerus teſtium certâ & ſpeciali lege non eſt definitus. Verùm in Teſtamentis aliquis teſtium numerus eſt definitus, & quidem non ſine gravi causâ; quod ultimis voluntatibus multas fraudes & captiones ſubeſſe ſoleant. Et per conſequentiam hypotheſes, qualis una eſt in causâ *Teſtamentaria*, quæ lege Civili deciſæ ſunt, non evertunt theſin à Deo Opt. Maximo in ſuo Verbo propoſitam. Neque theſis contrariatur hypotheſi, ſed potius per illã confirmatur. Quòd ſi nihilominus nonnulli rigidè juri Canonico conformiter ſe explicaturos ſperent ſacrum Codicem, ut debeãt in omnibus actibus homines eſſe contenti *duorum* teſtimonio; videant quid reſpondendum

Ritterſhuſ. de differ. jur. Civil. & Can. libr. 4. cap. 1.

C. omnes 11. q. 1. C. 101. de conſecrat. diſtinct. 4. C. ult. de cognat. Spirit. in 6. C. omnis de pœnit. C. ex inſinuatione de Procur.

ſit ad illos caſus, quibus idem illud jus Canonicum vel *unicum* teſtem ſufficere credit, ſi modò ſit *eximiæ auctoritatis*. Ita enim teſtimonium ab *Epiſcopo* perhibitum omnes Judices indubitanter admittere jubentur. Et in *Baptiſmo* & confirmatione unius teſtimonium ſufficere volunt. Et in *Pœnitentia* Sacerdotis. Et in mandato, de ejus *revocatione* reponens. Quæ omnia quàm congrua ſint prædictæ regulæ, ipſi viderint, qui tanti jus Canonicum facere conſueverunt, ejuſque paſſim æquitatem ac rationem deprædicare.

Sed, ut redeam, undè digreſſus fueram; ſic ſtatuo, nec in Provinciis fœderatis, nec alibi, ſervari *præciſè* jus Canonicum circa *Teſtamenti-factionem*: verùm Ordines vel magis, vel minùs, videri ad idem, aut accedere, aut ab eodem recedere; quòd fortè ſecuti jus Divinum, jus Gentium, in ſolemnitatibus adhibendis nòn adeò abundent, atque quidem Romani. In eâdem

ferè

ferè ſententiâ eſt *Zoeſius*, qui ſic de ſolemnibus *Teſtamentorum* ſcribit; *Prædicta*, inquit, *ſolemnitas ſervanda eſt in terris imperii, niſi conſuetudine aut locorum ſtatutis ab ea ſit receſſum: quæ in pleriſque locis ad juris Canonici deciſionem magis accedunt. Non tamen eandem paſſim ſolemnitatem deſiderant: ſed alibi majorem, alibi minorem.* Et paulò pòſt: *Immò, cùm aliquibus in locis ſufficiat per ſcripturam, ſolamque ſubſignationem teſtatoris, conſtet de ejus voluntate; videtur pænè teſtamentorum conficiendorum forma redacta ad ſimplicitatem juris gentium.* Concludam hanc meam ad objectam difficultatem reſponſionem verbis Celeberr. JCti *Antonii Matthæi*. *Nec ferendi*, inquit, *Pontifices, dum Cæſarum liberalitate non contenti; in alias quoque cauſas invaſerunt; perindè ac ſi aut merè ſpirituales, aut mixtæ juriſdictionis eſſent: quales ſunt cauſæ matrimoniorum, adulterii, uſurarum, jurisjurandi, decimarum, perſona-*

Zoeſ. de Teſtam. n. 48.

Anton. Matth. Tractat. de jud. diſp. 2. n. 45.

rum miſerabilium, & ſi quæ ſimiles.

Verùm fortè videri poterit alicui contrarium ſuaderi poſſe, adductâ *Rittershuſii* auctoritate: qui in *Proœmio de differentiis juris Canonici & Civilis* varias tradit *regulas*, ſecundum quas jus Canonicum etiam in multis *Reformatarum* Eccleſiarum conſiſtoriis obſervatur. Quibus regulis propoſitis, etiam *cauſas* & *articulos* varios enumerat, in quibus ad jus Canonicum recurritur. Sed *reſpondeo*, *Rittershuſium* non tam inferre in articulis ibidem enumeratis jus Canonicum obtinere, quàm quidem id, comparatione initâ cum jure Civili, eidem eſſe præferendum. Quod ſic intelligo; non quia eſt jus Canonicum, ſeu Pontificium, ſed quia id etiam, quod in jure Canonico occurrit, in quibuſdam juri Divino & Gentium conveniens eſt. Tuncque non tam ſequimur jus Canonicum, quàm quidem jus Divinum & naturę; cujus quædam fortè materiæ etiam in jure Canonico pertra-

Vid. eundem libr. cit. p. 22.

tractantur. Ita, ſi homo ſecundum principia & regulas honeſtatis practicas vitam dirigat; ſi cuique ſuum tribuat; non dicetur vivere ſecundum Canones, verùm ſecundum regulas juris Naturæ: licet in jure Canonico etiam iſtarum regularum occurrat explicatio. Accedit, quòd *Rittershuſius*, vir aliter magnæ apud Reformatos auctoritatis, non tam hoc de ſuo ſenſu dicat, & pro vero aſſerat, quàm quidem *in quibus potiſſimùm cauſis*, (ſunt ipſius verba) *Jus Canonicum obſervandum dicant Interpretes in foro Civili; ſive non tantùm in terris Eccleſiæ, verùm etiam in terris Imperii.* Etenim, ſi fuiſſet mens *Rittershuſii*, quòd, quos articulos juris Canonici *loco allegato* enumerat, eoſdem ipſe velit obſervari in Imperii terris; tunc certè vir ille celebris in eâdem præfatione ſibi non conſtaret. Quod tamen de tanti viri eruditione & judicio accurato nemo, niſi in ejuſdem ſcriptis minùs verſatus, affirmare auſit. Cùm enim

Idem libr. cit. p. ead.

Idem libr. cit. p. eâ dem.

loco citato ſcribat, jus Canonicum etiam *in juramentis* præferri juri Civili; (niſi ex communi ſententia D D. vid. ſtatuentium, adeoque ex ſolâ relatione, hoc ſcripſiſſet) cur ipſe totum hoc juris Canonici, quod juramenti materiam ſpectat, pagellis anterioribus reprobáſſet, in eoque jus Pontificium juri Civili poſtpoſuiſſet? Sic enim loquitur: *Verbi causâ, ſi quosvis actus jure alioqui inutiles & invalidos ſtatuimus jurejurando confirmari poſſe, ut Canoniſtas contra expreſſam* l. 5. non eſt dubium. Cod. de ll. *feciſſe videre eſt apud Everhard. in Topicis, in loco* à vi & energ. juram. *Totum pœnè jus Civile tot vigiliis excogitatum, & bono generis humani promulgatum evertemus.* Itaque hinc manifeſtum eſt ſatis, *Rittershuſium*, enumerando varios articulos, in quibus dicatur juri Civili præferri jus Canonicum, non tam propriam explicuiſſe ſententiam, quàm quidem quid alii, & quidem Germani Juriſconſulti, ſecundum In-

Idem libr. cit. p. 6.

ter-

terpretes, vel dum ipſi Interpretum officio funguntur, hîc ſentiant. Amplius. Non tam à *Rittershuſio* inſtituitur quæſtio facti, quàm *juris*. Neque enim aut auctoritatibus, aut exemplis probat, articulorum enumeratorum materiam ſecundum jura Canonum, in Germaniâ, Galliâ, aliiſque regionibus, decidi ſolere: verùm refert, *Interpretes dicere, obſervandum eſſe jus Canonicum*, quoad articulos ibidem enumeratos, etiam in foro civili. Multò minus, aut probat, aut probare conatur, quòd in terris Imperii obtinere dixerat, etiam in unitis Belgarum Provinciis locum habiturum. Et, licet in pleriſque Germaniæ partibus hæc Interpretum ſententia recepta foret: malè tamen quiſpiam idem fœderato Belgio applicatum velit. Aliter nos, aliter illi, qui magis Imperio Germanico ſe ſubjiciunt, reguntur; cum alia apud Belgas, alia apud Germaniæ ſuperioris populos ſit regiminis forma, & diverſus Reipublicæ ſtatus, diſtin-

ſta dominationis arcana. Non mirum igitur foret, ſi in pleriſque Imperii Germanici terris (potiſſimùm loquor de Germaniâ *ſuperiore*) juris Canonici magna eſſet auctoritas; cùm apud permultos Principes Pontificia vigeat ſuperſtitio. Quæ cùm apud Belgas Reformatos exulet, etiam unâ operâ omnis Pontificis rejicitur auctoritas, atque juriſdictio.

Verùm, quod magis eſt, teſtimoniis Juriſconſultorum in *Germaniâ* præclariſſimorum demonſtrari poterit, tantam ibidem juris Canonici auctoritatem non eſſe, quantam quidem Interpretes nonnulli prætendunt. Sic enim *Beſoldus*, Pontificiæ ſuperſtitioni addictus: *Homo conſiderari poteſt, vel ut ſubditus Romano Imperio, vel ut ſubjectus Eccleſiæ Romanæ: Si primo modo, utitur jure civili Romanorum; Si ſecundo modo, utitur jure Canonico, reguliſque Eccleſiaſticis accommodatur.* Itaque tantùm illi ſequuntur Pontificum decreta, qui pſeudo Romanæ Eccleſiæ

Beſold. diſſert. de libr. juris. p. mihi 39.

cleſiæ

cleſiæ ſunt ſubjecti. Ideoque qui ſubditi non ſunt, (quales in Germaniâ plurimi, & omnes apud Reformatos) regulas Pontificum Eccleſiaſticas non ſequuntur. Quò facit illud *Arumæi*, Scriptoris inter Germanos celeberrimi: *In imperio*, inquit, *Proteſtantium omnis Juriſdictio Eccleſiaſtica Pontificum ſublata eſt.* Cui etiam reſponſioni, favet *Oldendorpius*, JCtus, clariſſimus, qui regulam, quam *Rittershuſius* circa juris Canonici auctoritatem ex Interpretum ſenſu depromſerat, ita probat; ut tamen non ſine cautelà eandem recipiendam ſtatuat. *Si extent*, inquit, *leges civiles, & Eccleſiaſtici Canones, (ut vocant) quæ mutuò ſibi repugnant: tunc cùm de peccato evitando tractatur; etiam in foro civili Canonibus ſtandum eſſe, probat Bart. aliis ſubſcribentibus*, in l. privilegia. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. *Tu accipe de veris Canonibus Apoſtolicis.* Et maximè pro meo ſenſu militat *Hunnius*, qui, cùm defenſionem juris Canonici

Arum. diſcur. Acad. de jur. Public. volum. 2. diſcurſ. 30. theſ. 4.

Johann. Oldendorp. in Claſſ. in init. de ordin. jur. n. 10.

Hunn. diſput. 1. de jur. can. Author. theſ. 1. & 15.

ſuſcepiſſet, nullibi tamen prodidit, id ubique & paſſim in Germaniâ obtinere. Quod ſi verum fuiſſet, procul dubio non omiſiſſet; cùm aliquas regulas pro jure receptas eſſe, multum ad defenſionem iſtarum regularum facere videatur. Tantum igitur rigidus ille Canonum hyperaſpiſtes aſſerit, jus canonicum, *in foro ſeculari inſtar Sanctionum Imperialium obſervari debere.* Et alibi: *In Scholis & Dicaſteriis retineri & obſervari poſſe.* Minus accuratus igitur ille mihi videbitur, qui allegando *Rittershuſium* contra ejuſdem intentionem, quod aliis Imperii Germanici partibus eſt applicatum velit noſtris terris accommodare. Denique conceſſis omnibus illis tanquam veriſſimis (cùm tamen vera non ſint) quæ fortè ex ſenſu *Rittershuſii* aliorumque Doctorum elici poſſent: (ſcilicet, in cauſis & articulis, loco citato apud *Rittershuſium* enumeratis, juri Canonum eſſe locum) Non tamen hinc conſequeretur,

com-

communiter jus Pontificium in Foro legis obtinere auctoritatem; multò minùs in Provinciis unitis conſtitutionum robur ei eſſe accommodatum. Quinimò cum exceptio confirmet regulam in caſibus non exceptis; hinc colligerem, jus Cæſareum ut plurimum in Foro nos ſequi oportere, caſibus nonnullis exceptis. Atque hanc eſſe communem opinionem D. D. vel indè manifeſtum eſt; *Quòd, ſi jure civili quæſtio, de qua controvertitur, deciſa non ſit, uno propè ore omnes moneant, ad Canones eſſe recurrendũ, rem apertè definientes.* Quod an procedat, & ſequatur ex textibus juris à Doctoribus allegari ſolitis, jam non examino.

Salicet. in l 1. Cod. unde vi. n. 9.

D. Anton. Matthæus tract. de judic. diſp. 11. theſ. 4.

Sed fortè quis me rogaverit. Si ſic de jure Canonum ſtatuendum; quid igitur ſupererit, niſi ut abjecto toto Corpore Canonico, etjam omnem illi utilitatem denegemus. Verum talibus *reſpondeo.* Non, quibus Canonibus juris detrahitur auctoritas, iiſdem ideò omnis detrahitur utilitas: licet enim

nim negem, jus Canonicum habere legis vigorem; non ideò negavero, aliquid in eo boni contineri. Habent etiam ea, quæ mala, quæ quoad potiſſimam ſui partem improbanda, uſum non contemnendum. Neque adeò peſſimus reperitur liber, è cujus lectione non aliqua hauriatur utilitas. De *Virgilio* refertur, quòd quandoque ex *Ennii* ſtercoribus aurum legere conſueviſſet: ita etiam ex juris Canonici libris, ſine judicio compilatis, aliquid, quod uſui eſſe poſſit, hauritur. Et, quemadmodum indies Deciſionum, Conciliorum, inſignium Practicorum, Gloſſarum, allegantur auctoritates: ſic etiam quandoque regulæ è Corpore Canonico citantur; quæ tamen non majorem, quàm alieni territorii Arreſta, aut concilia Doctorum, habent auctoritatem: Quòd ſi quiſpiam hinc intulerit: ergo jus Canonicum ſequuntur Juriſconſulti, ſequuntur in judicando Judices; næ, ille in concludendo adeò erit abſurdus, quàm qui propterea

cen-

cenſeat, Rotas Romanas, aliaſque Deciſiones, Juris auctoritatem apud Reformatos obtinere, quod quandoque Advocati in Foro, licet minùs prudenter, allegent, ita ſecundùm Rotas (quæ tamen in multis Concilium ſequuntur Tridentinum, noſtro regimini adverſum) eſſe deciſum. Accedit, quòd non omnia illa, quæ doctrinæ & eruditionis majoris gratiâ leguntur, allegantur, ſive extra negotia Forenſia, ſive in negotiis Forenſibus, adhibeantur, juris gaudeant auctoritate. Non enim, quicquid in Foro profertur, ut legale profertur: verùm quandoque ut *doctrinale*, uti loquuntur. Neque, quod legitur, juris eſt: licet ejus lectio ad juris Civilis cognitionem multum conferat. Verùm adhuc Canonum lectio magnoperè prodeſſet, ſi vel hôc ſolo nomine prodeſſet, præſertim nobis Reformatis; quòd (uti loquitur *Ritterſhuſius*) *non ſolùm adeò craſſas continent abſurditates, ut metuendum non ſit, ne quis*

Ritterſhuſ. diff. jur. Can. & civil. in procem. p. 18.

quis ampliùs illis decipiatur, niſi ſuâ ſponte cæcutire velit, patefactâ jam veritate, detectiſque erroribus: verùm etiam quòd multis in locis ipſoſmet Pontificios refellat, ac proprio gladio (quod dicitur proverbio) toti orbi Christiano jugulandos præbeat. Id quod præclaro ſpecimine cùm alii probàrunt luculenter, tum præſertim Authores, apud *Rittershuſium* loco citato allegati.

Windeck libr. de conſ. & diſſ. can. & leg. cap. 11.

Cùm igitur argumentis, & Authorum variorum Teſtimoniis abundè probatum ſit, tantam juris Canonici in Dicaſteriis Reformatorum habendam non eſſe rationem; facilè colligitur, quid ſit *reſpondendum Johannis Pauli Windeck* rationibus: quibus ſuadere conatur, *Jus Civile juri Canonico cedere debere, eoque corrigi & aboleri. Primum* ejus argumentum „eſt; quòd Imperator ſemet noſque, quod ad ſpiritualia attinet, „juri Canonico ſubjecerit, per celebrem illam in Scholis jactatam „vocem: *quòd leges non dedignentur*

„ *tur ſequi ſacros Canones.* Ve-
„ rùm *reſp. Rittershuſii* verbis,
„ qui alibi ſic loquitur: id eſſe
„ μέγα λίαν αἴτημα, pertinens ad la-
„ befactanda jura Imperii, & inci-
„ dendos Imperatorum nervos,
„ ſi Pontifices ſua quælibet Re-
„ ſcripta, quos *Canones* appellant,
„ cum priori illo Canonum gene-
„ re, de quo Imperatoris *Juſtiniani* Alber. diſp. jur. can. 1. c. 2. p. 19. 20. Rittershuſ. libr. cit. p. 5. 6.
„ dictum eſt intelligendum, ean-
„ dem vim obtinere voluerint. Ca-
„ nonum antiquorum (qui Conci-
„ liis quatuor œcumenicis conti-
„ nebantur) alia erat ratio, alia no-
„ vorum, à Pontificibus in corpus
„ Canonicum relatorum: illi vete-
„ res ab Imperatoribus confirma-
„ bantur: qui etiam indicere anti- Iſidor. Orig. l. 6. cap 16.
„ quitùs ſolebant Epiſcoporum
„ conventus, iiſque ſæpe præſide-
„ re; quâ confirmatione acceden-
„ te, vim legum ſortiebantur Ca-
„ nones, qui aliter nullius fuiſſent
„ auctoritatis. Nam, ſi hanc vim
„ habere debet illud effatum: *le-* Novell. 83. c. 1.
„ *ges non dedignantur ſequi ſacros*
„ *Canones*, quaſi cedere debeant
„ leges

„ leges & conſtitutiones Principum, & prona quaſi ſe ſubmittere iis, quæ quiſque Pontifex ſanxit; quis non videt, hanc compendiariam eſſe viam, ad ſubvertendas omnes leges, omniaque jura ab Imperatoribus condita?

„ *Secundum* ejuſdem Autoris argumentum eſt; quòd jus Canonicum ſit uſitatum, & à multis ſeculis ex longiſſimâ experientiâ obſervatum: cujus etiam robur contra leges Imperiales invaluit, diverſis in Regnis, per totum orbem Chriſtianum. Verùm *Reſpondeo.* Jus Civile Canonico eſſe longè antiquius, aliquot ſeculis ante jus Canonicum, quod *Pontificium* appello, (excipio enim Canones quatuor Conciliorum) conditum, paſſim in orbe Chriſtiano receptum, etiam ibi, ubi jus Canonicum exulat, quod ex dictis à me ſuperiùs fuit demonſtratum, & ampliùs in ſequentibus demonſtrabitur. Dein, falſum eſt, quod dicitur, *jus Pontificium*

tificium contra Imperiales ſanctiones invaluiſſe. Licet enim id in illis terris acciderit, ubi Papales vigent errores: non tamen ubique in Imperii terris, aut in Chriſtiani orbis partibus, forte extra Imperii circulos conſtitutis. Denique, invaluerint Pontificum decreta in quibuſdam terris Imperii adverſus Principum Reſcripta; attamen non tam id juris eſſe comperietur, quàm uſurpationis. Verùm hîc diſputari oportet de jure, non de facto. Neque enim æquum eſſet, ſanctiſſimum illum Patrem, qui ſe verum Chriſti Vicarium profitetur, viâ *facti* (id eſt, armatâ manu, per violentiam) Imperatoris & Principum Juriſdictioni obverſari velle, quæ jure Divino & Gentium illis in omnes, non Papæ in illos, eſt conceſſa. Et tamen nihil certius, quàm Pontifices Romanos, ſuam potentiam adverſus ſecularem poteſtatem evehentes, per fas & nefas, per technas & dolos multiplices ea, quæ erant Imperii & Principum, ad ſeſe pertraxiſſe. Atque hinc

hinc totidem Scriptorum inſignium extant querelæ, *Marſilii Patavini, Petri Ferrarienſis*, *Hotomanni*, aliorumque; quòd Imperator, Reges, Principes, indigna multa paſſi ſint, à digniſſimo (uti ipſe velit) Petri ſucceſſore. Undè *Ferrarienſis* alibi: *Nota, quomodò, & quot modis, iſti Clerici, illaqueant Laicos, & ſuam, juriſdictionem ampliant. Sed heu miſeros Imperatores & Principes ſeculares! qui hæc & alia ſuſtinetis, & vos ſervos Eccleſiæ facitis, & mundum per eos infinitis modis uſurpari videtis: nec de remedio cogitatis; quia prudentiæ & ſcientiæ non attenditis.* Et alibi: *Non convenit*, inquit, *Pſalterium cum Citharâ: nec dictum eſt Eccleſiæ à Chriſto, nec à B. Petro, quòd poſſidere debeant talia*: (puta, civitates & caſtra) *ſed, quod eſt Cæſaris, reddatur Cæſari; &, quod eſt Dei, Deo.* Hactenus ille. Et, cùm de jure Divino, naturali, Civili nullum Canonibus Pontificiis adverſus leges ſecularium robur ſit tributum;

Ferrarienſ. Form. Reſp. rei conventi. ad verbum: *tanquam publicè excommunicatum*, n. 10. Et ad verb. *Præſcriptionis*, n. 24.

butum; fruſtrà ad facta recurritur, & ad conſuetudinem. Quæ ſi ubique obtineret, contra omnia recepta eſſet jura; adeoque foret irrationabilis & iniquiſſima.

,, *Tertiò* inſtat idem Autor; æ-
,, quitatem id poſtulare, ut, ubi a-
,, gitur de animarum periculo, de
,, conſcientiâ informandâ circa
,, humanos caſus, de Eccleſiæ pa-
,, ce & regimine, jus Canonicum
,, legibus præferatur, eaſque rece-
,, dentes emendet, revocet, abro-
,, get. Quam argumentationem Auctor *tribus* complectitur diſtinctis argumentis: quæ malui ad *unum* revocare; quia unâ reſponſione omnia commodè dilui poterunt. Verbo itaque *reſpondeo*. Gratis ea dici, non probari ab Autore; atque ideo eâdem gratiâ rejici, quâ adducuntur. Hoc enim quæſitum eſt; *anne in omnibus ſpectantibus animæ tranquillitatem regamur, aut regi debeamus*, jure Canonum? Nos id antea *negavimus*, & de facto apud multos, & de jure apud omnes. Quòd ſi Canones veros intel-

intelligat Auctor, id eſt ſacros Canones, libros canonicos *Veteris* & *Novi Teſtamenti*; facillimè largior, eoſdem ut infallibilem, fidei morumque normam legibus ſecularibus parere præjudicium: cùm potiùs obediendum ſit Deo, quàm hominibus. Verùm, *Pontificum* Decreta, quæ injuſta ſunt, *ſacrorum Canonum* venire nomine, aut cum iiſdem paris eſſe auctoritatis, id verò *pernego*.

„ *Quartò*, ita argumentari per„git: Non pollent Magiſtratus „ Politici ullâ poteſtate, de Eccle„ſiæ perſonis diſponendi, quam „ Deus ſolis ſpiritualibus perſonis „ conceſſit. Ergo non mirum, ſi „ etiam laicorum legibus hâc in „ parte Canones, ſi repugnent, „ prævaleant. Sed *Reſpondeo*. Tritum hoc eſt poſtulatum, & ſatis grande: nunquam tamen probatum, aut probandum; *quòd perſonæ Eccleſiaſticæ, quos CLERICOS appellant Pontificii, ſeculari poteſtati ſint exemptæ* Contrà, quàm ſtatuit Apoſtolus: *OMNIS ANI-*

ANIMA, inquit, (πᾶσα ψυχὴ) *ſupremis poteſtatibus ſubjecta eſto.* Ad quem locum *Chryſoſtomus* vult, ipſos *Apoſtolos*, nedùm cæteros, hôc nomine, *Omnis anima*, comprehendi. Et, cùm regula ſit generalis; quia, qui dicit *omnem*, neminem excipit, ne quidem præcipientem; audiendi non ſunt Pontificii, niſi exceptionem, à regulâ deviantem, ſacræ Paginæ teſtimoniis confirmaverint.

Rom. 13. verſ. 1. & 7.

Vid. Dan. de poteſt. Eccleſ. c. 53.

„ Denique *objicit* Autor præno-„ minatus; quòd jura Civilia mul-„ tis in caſibus ſint iniqua, quæque „ variis in rebus peccandi occaſio-„ nes & fomenta præbeant; & per „ conſequentiam eadem Canoni-„ bus Pontificum cedere oportere: Sed *Reſpondeo.* Non, quæcunque in jure Civili tradita ſunt, *aut* pro perfectis, fatente *Juſtiniano*, *aut* pro licitis, & juri Divino conformibus, fatentibus Reformatis, ſunt recipienda. Verum etiam non omnia, quæ *Pontificum* Decretis ſunt ſtatuta, Verbo Dei congruunt: immò pleraque eidem è diametro

L. 2. §. 4. Cod. Vet. jur. Enucl.

Ameſ. caſibus conſcien. l. 5. c. 1. n. 5.

metro repugnant. Quod magis eſt, ſacræ Scripturæ auctoritatem eo ipſo evertunt, quòd parem, ſi non majorem, obligandi vim decretis humanis tribuant. Prætérquam, quod ſi quæpiam juris Civilis dogmata eſſent emendanda; non per Canones Pontificum hoc fieri deberet, qui etiam ſunt fallibiles: ſed per rectam Rationem, per præcepta Divina, ſacris Scripturis contenta.

VIII. Atque hæc illa ſunt, quæ eum in finem adduxi, ut conſtaret, *juris Canonici* auctoritatem nullam eſſe debere: & apud *Reformatos* Canones, nec legis auctoritatem habere, nec juri Civili præferendos eſſe. Verùm, cùm in difficultate enodandâ, remotâ falsâ ſententiâ, ſuperſit ut demonſtretur, *quæ verâ ſit*? (cùm, ſi jus Pontificium apud noſtros juris non habeat auctoritatem; aliud quoppiam jus, aut ſcriptum, aut non-ſcriptum conſtitutionis vigorem habere oporteat) videndum erit, quale *jus communiter in Foro noſtro ſit receptum*?

Læt. in introit. Phil. 2. Hiſp. Reg. art. 57. & ibi Vivien. in comm.

ptum? Et quidem pro certo id mihi aſſumo, in bene conſtitutâ Republicâ aliquid vim legis obtinere, quod in judicando ſequatur Judex. Ne, ſi fortè deciſio quæſtionis Judici arbitrio committatur, uti olim, gratiæ aut odio locus ſit futurus: quæ res eſſet periculi plena. Hinc, cùm probatum ſit, jus *Canonicum* in Foro noſtro legis auctoritatem non habere; deſignandum erit, *quale jus ſervandum ſit?*

L 9. D. juſtit. & jur. L. 1. §. 1. 3. 4. D. Origin. jur.

Reſpondeo. Cùm Belgicæ Provinciæ, ſub quibus etiam *ſeptem unitæ* continentur, pro majore parte ſint conſuetudinariæ; dicendum imprimis, mores ſeu conſuetudines, ab Ordinibus approbatas, à Principibus confirmatas; ſtatuta municipalia, Ordinum noſtrorum edicta ſpectari: deindè *Jus Civile* tanquam jus æquiſſimum.

Radel. deciſ. cur. Prov. Ultraj. 93. n. 3. J. Lipſ. Monit. c. 2. lib. 2.

Per *Jus CIVILE* intelligo *jus Cæſareum*, aliter appellatum jus *Romanum*, *Juſtinianæum*; quòd auſpiciis Imperatoris *Juſtiniani* per Juris Anteceſſores collectum eſt. Conſtitutionibus Ordinum

Tot. Proœm. Inſtit. Tot. tit. Cod. de Vet. jur. Enucl.

 num

num noſtrorum quandoque appellatum *jus ſeculare ſcriptum.* Et, quemadmodum κατ' ἐξοχὴν *ſecundum excellentiam* ſine adjectione dicitur *jus Civile*; cùm non tantùm ſit *civile Romanorum*, ſed & *Athenienſium*: ita etiam abſolutè vocatur *jus ſcriptum*; licet etjam Ordinum conſtitutiones, urbium ſtatuta, ſint ſpecies juriſcripti. Etiam appellari ſolet *jus commune*; ſic ut, in caſibus *ſtatutis* non expreſſis, recurrendum eſſe dicatur ad *jus commune*: intellige *Romanorum.* Idque, quia communiter eſt receptum: Non tamen ideo negem, quandoque per *jus commune* deſignari jus *Provinciale*, uti vult *Coren.* Abuſivè tamen: cùm & jus Romanum vix *commune* fuerit appellatum, in jure Romano dictum *Proprium*; ad oppoſitionem *Gentium* juris, quod demum *jus commune* appellatum eſt. Hoc igitur jus *civile*, quod poſt annorum 500 deſuetudinem revocatum eſt in uſum ab Imperatore *Lothario* Saxone, idque circa

§. 2. Inſtit. jur. nat. Gent. civil. Ameſ. caſ. l. 5. c. 1. n. 21. Conſtit. Ordin. Ultraj. an. 1585. 17. Maji, ſuper matrim. art. 22.

Coren. obſervat. 30 p. mihi 233. & ſeq.

§. 1. 2. Inſtit. jur. nat. Gent. civil. L. 6. D. juſt. jur. L. 9. D. eod.

circa ann. Chriſti 1050. continetur- que in libb. 4. *Inſtit.* 50. *Pandecta-rum*, *Codicis* 12. atque *Novellis* CLXVIII.: poſt Ordinum decreta & locorum ſtatuta in Foro, in Judiciis, apud noſtros *legum* obtinet auctoritatem. *Præter jus Romanum*, inquit *Lipſius*, *ſtatuta & decreta, oppidatim, pagatim, populatim habemus.* Tu corrigas, & ne dicas *præter*, ſed *ante*, jus civile ſtatutis eſſe locum tam municipiorum, quàm Provinciarum: Pòſt demùm ad jus civile Romanorum recurri ſolere.

Lipſ. Monit. Polit. lib. 2. c. 10. Rittershuſ. diff. jur. civ. can. in init. Forſter. lib. 3. hiſtor. jur. civil. c. 5. 6.

Quòd autem in Provinciis Belgicis *edicta Principum*, *regionum mores* præcipuè & imprimis, ſpectentur, teſtimoniis Scriptorum claſſicorum manifeſtum fiet. Præmittam auctoritatem Anonymi cujuſdam, qui in relatione de ſtatu Germaniæ inferioris ita ſcribebat: *In omnibus Curiis, ſive Magiſtratibus, jus obtinet commune, niſi municipale, aut privilegia, aut edicta Principum, ei adverſentur.* Cui ſuccenturiatur *Zypæus*: *Mo-*

Caſpar. Ens in Theſaur. Polit.

res, inquit, *in Provinciis Belgicis primò jus ſunt; deindè Principum edicta: ac, iis deficientibus, jus ſcriptum toto orbe æquiſſimum.* Et ille cujus auctoritatem nullus non magni fecerit, (*Burgundum* deſigno) eodem ſenſu antea ſcripſerat: *Cæterùm*, ait ille, *de quibus cauſis municipalibus legibus non utimur, id cuſtodire ſolemus, quod Romano jure eſt introductum.* Auctoritatibus ſi quiſpiam ſtandum eſſe, exiſtimet; plures adhuc ſuperaddi poterunt. *Belgii noſtri ditiones*, inquit *Chriſtinæus* cum aliis, *conſuetudinarias pro majore parte eſſe; ſic quòd mores primo loco earundem jus ſint, teſtatur Jacobus Marchant de Flandria, in deſcriptione ejuſdem lib. 1. tit.* de legibus. *Deindè Principum edicta; ac, illis deficientibus, jus ſcriptum, quod toti orbi æquiſſimum plerique cenſuerunt.* Ex noſtris in eâdem fuit ſententiâ *Merula.* Qui, quòd noſtras Provincias eſſe *conſuetudinarias*, & pro diverſitate locorum, tot diverſas eſſe conſuetudines, ſtatu-

Zyp. jur. can. novi Anal. Enarr p. mihi 17. Burgund. in Proleg. ad conſuet. Flandr. Chriſtin. ad conſ. Mechl. in Epilog. n. 16. 19. 20. 30. & volum. 1. deciſ. 343. Zyp. lib. 1. jur. Pont. Anal. Enar. p. 17. Zoeſ. D. de Teſtam. mil. in fin. & D. de pœnis. n. 13. & de leg. n. 40. Merula in Praxi Civil. lib. 1. tit. 5. cap. 1. in fin.

ſtatuta diverſa, multaque ex juris illâ varietate oriri incommoda; ex-
,, iſtimabat, conſultius fore, ſi Or-
,, dines duos aut tres judicii abſo-
,, lutiſſimi viros delegarent, qui
,, omnes harum regionum con-
,, ſuetudines, ſummâ adhibitâ fi-
,, de & diligentiâ in Scripta redi-
,, gerent, ad concordiam & unio-
,, nem referrent, ſupremi Magi-
,, ſtratûs auctoritate confirman-
,, das ac publicandas. Adde virum, dum viveret, eruditiſſimum *Lambertum Goris*, qui poſt loci conſuetudinem, atque parem rationem, juri Cæſareo facit locum. *Succedat*, inquit, *jus civile Romanorum, ſive Cæſareum, comite jure Canonico, ſive Pontificio.* In quâ tamen ſententiâ nimium tribuit Canonibus, meo non tantùm, ſed eorum, quos antea allegavi, judicio: licet in eo non veniat reprehendendus; quòd juri Pontificio Civile præponat, uti meritò præferendum erat. Et certè eo ipſo, quòd Autoritatibus allegatis probetur, primitus ſpectari conſtitu-

L. Goris, tract. 4. Adverſ. §. 1.

Author Batav. Arcad. p. mihi 598 in med.

tiones, mores & ſtatuta locorum, deindè leges civiles; ſequimur quammaximè jus Cæſareum: quo cautum eſt, *ut, quod moribus & conſuetudine eſt introductum, cuſtodiatur; &, ſi quâ in re hoc deficeret, tunc quod proximum & conſequens ei eſt; ſi nec id quidem appareat, tunc jus, quo urbs Roma utitur, ſervari oporteat* Quo etiam nomine jure Civili monetur Præſes, ut eundem morem in judicando ſervaret: *Præſes Provinciæ probatis his, quæ in oppido* (reſpicit jura municipalia) *frequenter in eodem controverſiarum genere ſervata ſunt, cauſâ cognitâ ſtatuet. Nam & conſuetudo præcedens & ratio, quæ conſuetudinem ſuaſit, cuſtodienda eſt. Lege igitur & jure aliquid dicitur fieri, quod ſecundùm uſurpatam conſuetudinem fit: cùm lex civilis jubeat conſuetudinem ſervari.*

L. 32. D. leg. L. 8. Cod. locat. L. 1. Cod. quæ ſit longa conſuet. Harmenop. lib. 1. tit. 1. p. mihi 17. Johan. Faber. ad tit. Inſtit. Jur. nat. Gent. ad verb. *Ex non ſcripto.* n. 28. Coſtal. Adverſ. ad l. 32. D. leg.

Poſtquam autem Conſtitutiones, conſuetudines & ſtatuta defecerunt; jam ad *jus Romanum* recurritur, uti dictum eſt. Quod jus paſſim

paſſim per univerſum ferè orbem Chriſtianum, ut receptum, ita quammaximè in Provinciis Belgicis; in quarum etiam Dicaſteriis *legis* tenet auctoritatem. Poſteriorem partem antequam probem, breviter in gratiam Juris *Juſtinianæi* præmittam, *quòd illud apud pleroſque Chriſtianos populos ſit receptum*; ne jam dicam, quod refert *Buſius*, & ex eodem *Chriſtinæus*, *Turcas* etiam hodierno tempore uti codice *Juſtinianæo* Græco. Ita in *Hiſpaniâ* Jus Civile Romanorum (licet poſt Canonicum, cum Papæ ſubjaceant) magnam habet auctoritatem. *Noſtrâ hâc ætate*, inquit *Thuldænus*, *è legibus & conſtitutionibus regni ſui demonſtrat Ludovic. à Pegeur. Cathaloniæ deciſ. 1. num. 7. in fine, deficientibus juribus Patriæ, ac tandem deficiente jure Canonico, apud eos judicandum eſſe ſecundùm jus civile Romanorum, & ſic ſecundùm leges civiles.* Quod tamen ita accipit *Gregorius Tholoſanus*, *non quaſi Hiſpania ſuperiorem agnoſcat*

Buſius ad l. 6. D. juſt. & jur. n. 2. Chriſtin. loc. ante cit.

Nicolaus Thuldæn. in Præf. notat. ad Damhoud. prax. civil.

Gregor. Tholoſ. de Republ. l. 6. c. 13. n. 26.

ſcat Imperatorem, aut ejus leges: verùm eas recipiat, *quatenus ratio earum recipitur.* Clariùs tamen *Covarruvias*, JCtus Hiſpanus. *Cæterùm*, inquit, *quæ circa Pauli Caſtrenſis ſententiam adduximus, Jure Cæſareo, quod omnibus commune eſt, locum obtinent.* Amplius. Etiam in *Galliâ* jus Romanum obtinet; quamvis non ita quidem, atque apud nos. Ac, licet quondam *Honorius III.* legum Civilium & Imperatorum interpretationem in *Franciâ* ſuâ conſtitutione interdixerit, (quod tamen ſano ſenſu accipi vult *Rebuffus*) & etiam *Molinæus* contendat, jus Romanum non eſſe jus commune Francorum; quia non ſunt ſubditi Imperio Romano: verius tamen eſt, Gallos quondam fuiſſe ſub Imperio, & adhuc dum jura Romanorum non ejurâſſe; uti multis id confirmat *Thuldænus*. Et, quod firmiter probat hanc ſententiam, id apertè fatetur Regi Galliarum ſubjectus, dum viveret, *Imbertus*. Qui, niſi id verum fuiſſet,

Covarr. var. reſ. l.3. c. 12. p. mihi 883.
Tholoſ. de Republ. l. 18. c. 6. n. 7.
Molinæus ad conſ. Pariſ. tit. 1. in Princ.
Thuld. en. loc. cit.
Vid. Prolegomena Cod. legum Antiquarũ.
Imbert. Enchir. jur. Gall. in verb. *Gallorum*. p. mihi ult. Edit. 190. 191.

fuiſſet, in ſui regis præjudicium nihil tale ſcripſiſſet. Ne jam adducere cogar teſtimonium *Baronis*, qui exſertis verbis teſtatur, *Jus à Juſtiniano compoſitum Galliam probare, ſi quando proprium non habet.* Niſi fortè *Baronis* locum commodâ interpretatione, aliundè ex ejuſdem Scriptis petitâ, quiſpiam temperare velit. Sic enim alibi idem Autor. *Illud quidem ex hiſtoriâ defendi poteſt, Francos legibus Romanis non teneri: ultrò tamen eo jure, tanquam bono & æquo, utuntur, ſi quando proprium non habent; (nimirùm Regias leges, vel mores regionum) atque ob id jus Romanum commune appellant.*

Baro ad D. πρῶτα lib. 4. tit. de min. 25. Ann.

Baro ad Inſtit. init. de Patr. Poteſt.

Sed hanc litem jam meam non faciam; cùm tantùm in tranſitu deſignare voluerim, jus Civile ferè apud omnes Chriſtianos eſſe receptum. Et ideò addidi *ferè*; cùm certò conſtet, apud *Anglos*, licet & illi quondam Romanos victores agnoverint, illud jus (niſi in negotiis maritimis inter exteros & Anglos)

Ameſ. caſ. conſci. lib. 5. cap. 1. n. 21.

 glos)

glos) nunquam fuiſſe receptum; ſic ut illi *nullam rationem juris Romani habeant.* Hoc ipſum exſertè ante aliquot ſecula confirmaverat *Henricus de Bracton. Cùm*, inquit, *ferè in omnibus regionibus utantur legibus & jure ſcripto, ſola Anglia uſa eſt in ſuis finibus jure non-ſcripto & conſuetudine.* Undè colligo; non ſine cautelâ accipiendum id eſſe, quod habet *Forſterus*: *quòd puta jure Civili, tanquam amuſſi quâdam, quæ æquitati & honeſtati publicæ accommoda eſt, omnes regiones Europæ nunc utantur.*

Henricus de Bracton de leg. & conſuet. Angl. l. 1. c. 1.

Forſter. Hiſtor. jur. lib 3 cap. 6. n. 4.

Sed, quod maximè quæſtionis à me in initio propoſitæ, deciſionem ſpectat, id mihi probandum ſupereſt; puta *Jus CIVILE CÆSAREUM in ditionibus Belgicarum Provinciarum, & quidem in Provinciis, quas FOEDERATAS appellant, vim LEGIS obtinere.*

Quod ne fortè poſtmodum in iniquum trahatur ſenſum, præmittam; me nolle omnibus & ſingulis,

gulis, quæ corpore *Juris Civilis* continentur, auctoritatem legis in Dicaſteriis noſtrarum Provinciarum accommodari: ſed *in genere* me jus civile admittere, iis exceptis, quæ *vel* contrariâ conſuetudine, licet non abſurda, ſunt improbata; *vel* quondam potius ratione ſubtili, quàm communi uſu introducta; *vel* denique divino juri, & Politiæ noſtræ adverſa: qualia multa in Jure Civili occurrere, non paſſũ diffiteri, *Nam quod noſtri Principes* (ſunt *Gudelini* verba) *in quibus caſibus propriæ leges vel conſuetudines deficiunt, volunt nos Romanum jus ſequi; ſic accipio, ut id locum habeat in eo Jure Romano, quod generali & notoriâ conſuetudine contraria abrogatum non eſt.* Et certè, *ſi qua ſunt in iſta civili diſciplina, quæ gentium omnium moribus, & quaſi publico ſilentio ſunt exploſa; ſi qua ſubtilitate magis, quàm æquitate quàdam perpetua commendantur: ſi qua deinceps potiùs propter rationem diſputandi, quàm pro commu-*

Anton. Matthæus de Auct. l. 1. c. 19. p. 244.

Gudelin. part. com. poſt. ad tit. Inſtit. & D. de Adopt.

D. Cypr. Regn. ab Ooſterg. tract. de Injuſt. leg. Rom.

Coſtal. in Parerg. adverſ. p. 12.13.

ni utilitate inventa ſcriptaque ſunt; ea nolim in foro Reformatorum legis auctoritatem obtinere.

Et, ne cupidus Lector ignarus ſit capitum, atque articulorum nonnullorum, qui in Provinciis fœderatis improbandi mihi videntur; eos ante quæſtionis deciſionem in genere pauciſſimis enumerabo.

L. 9. D. ad l. Rhodiam de jactu. L. 1. Cod. ſacroſ. Trinit.

Et quidem primitus in Foro noſtro omnes improbandæ leges civiles, quæ regimini Reipublicæ, noſtroque ſtatui ex adverſo oppoſitæ: quales inter alias, jam non enumerandas ſunt iſtæ, quæ *Imperatori* in omnes populos (quo ſenſu id accipiatur, explicant Doctores) Imperium tribuunt: eumque *mundi dominum* appellant.

Deindè perplurima rejicienda, quæ *Eccleſiarum* ſpectant curam atque regimen. Cùm enim in quibuſdam *Juſtinianus* Imperator, ut & anteriores Principes, faviſſent nonnullis ſuperſtitionibus; quæcunque juris loca eas redolent, tanquam à noſtrâ alienas Eccleſiâ, meritò

meritò erunt rejicienda. Cùmque nos ex canonibus Prophetarum & Apoſtolorum, qui nobis ſunt infallibiles, quicquid deciſioni caſuum circa Eccleſiaſtica negotia incidentium inſervit, abundè hauriamus; fruſtrà recurreremus ad illa reſcripta, quæ circa cauſas ſpirituales in multis deviant.

Ita & illæ leges improbandæ, quæ *Pontificis* poteſtatem elevant, eique reverentiam ſupra Paſtorum & Eccleſiæ Epiſcoporum conditionem tribuunt: ut, *quòd honorem reddat* Juſtinianus *Apoſtolicæ ſedi*, & *ſanctitati*; id eſt, *Johanni ſanctiſſimo Archiepiſcopo*; quem etiam ibidem appellat *caput omnium ſanctarum Eccleſiarum*. *Quòd ſummi Pontificatûs apex ſit penes Romanam Eccleſiam*. *Quòd per Petrum catholica fides Romanis ſit tradita*; & quæ ſunt hujus farinæ alia minùs limata.

L. 9. Cod. Summ. Trin. Novell. 9. L. 1. Cod. ſumm. Trinit. Tot. tit. Cod. de his, qui ad Eccleſ. conf. præſertim l. 3.

Improbanda inſuper omnia illa, quæ ſpectant jura *aſylorum*, quodque ad Eccleſias, tanquam

ad receptacula latronum confugiendum ſit.

Authent. Epiſcopi. Cod. E-piſc. Cle-ric. L. 41. Cod. eod. Novell. 115, §. *Nullus Epiſc.*

Etiam, quæ agunt de *cælibatu Epiſcoporum*, eorumque qui in majoribus ordinibus ſunt conſtituti. Et, quamvis Juriſconſulti Proteſtantes in Germaniâ, *Schurfius*, *Vigelius*, *Lagus*, *Kling*, aliique ad talia juris loca reſpondere fuerint conati: exiſtumem tamen illos nihil adverſus Pontificios hâc in parte proficere potuiſſe. Undè malim fateri, nos in talibus non alligatos eſſe juris Civilis auctoritati.

Etiam ea rejicienda, quæ de *vitâ monaſticâ* & *monaſteriis* in jure Civili, non ſine ſolitariæ vitæ commendatione & laude, dicuntur.

Novell. 123. c. 33. & ſeq.

Novell. 131. c. 1. l. 5. 6. Cod. ſumm. Trinit.

Quod amplius eſt, rejiciendæ & illæ conſtitutiones, quibus *Conciliis* atque *traditionibus* Patrum nimia, imo par cum Sacræ Scripturæ canonibus, tribuitur auctoritas.

L. 1. Cod. Si adverſ. vendit. Novell. 8. tit. 3.

Inſuper improbandi illi *ritus* ſuperſtitioſi, quos in *Juramentis*, tactis Euangeliis, (quod eſt *corpo-*

raliter

raliter jurare) adhibere conſueverunt. Etiam quos in cultu religioſo obſervant: ut, quæ ſpectant *crucem*, *ſignum crucis*, *reliquias*, &c. Etiam quales circa *funera* & *ſepulturas* fieri oportebat.

Præterea reprobanda ea omnia, quæ prodidit Imperator de *ſanctorum pro nobis interceſſionibus*: & quidem nominatim de interceſſione virginis *Mariæ*. Quod dogma in totum antichriſtianum eſt.

Porrò, quæ de *Feſtis* refert diebus, in totum rejicimus, utpote in Novo Teſtamento adventu *Chriſti* in univerſum ſublatis.

Denique non illa recipienda, ut *Magiæ indirectæ* ſpeciem præ ſe ferentia, quæ circa *Incantationes* in jure Civili traduntur: aut quòd *incantatio contra ventos & nubes cenſeatur* eſſe permiſſa.

Neque tamen ex jam allegatis & notatis quiſpiam inferat, *jus Civile apud Reformatos vim legis non habere*: cùm potiùs exceptionibus præmiſſis, colligendum ſit, regu-

Tot. tit. Cod. Ne ſignum Salvator. Novell. 123. c. 33. Novell. 5. c. 1. L. decernimus 26. Cod. Epiſc. Cleric. Novell. 59. L. 1. Cod. Off. Præf. Præt. Aftic. L. nemo deinceps Cod Epiſc. Aud. L. 2. Cod. Fer. L. Quadraginta Cod. eod. L. eorum Cod. Maleſ. & Math.

regulam firmam manere in caſibus non exceptis. Neque enim, qui dicit, in Provinciis Belgicis *locum* eſſe juri Romano, infert, nos quoad omnia cum eodem convenire. Verùm id cum aliquà cautelâ accipiendum eſſe, ſatis innuit, dum alibi articulos & cauſas nonnullas excipit. Ita, cùm *Burgundus* „dixiſſet, ſolere Provincias Belgi„cas, ceſſantibus ſtatutis, id ob„ſervare, quod jure Romano eſt „introductum: alibi tamen in„fert, *manifeſtum eſſe, quàm nobis* „*cum jure civili ſit concors diſcor*„*dia.*

Burgund. in Proleg. ad conſuet. Flandr. Idem tract. 13. n. 33. p. 259.

Sed ut redeam, undè diſceſſeram, ſupererat ut manifeſtum facerem, *jus Cæſareum* in Ditionibus Belgarum, præſertim in *Fæderatis* Provinciis, *legis* auctoritatem obtinere. Id agam partim *rationibus*, partim Auctorum *teſtimoniis*; &, quod intendo, ſic effectum dabo.

Prima mihi *ratio* hæc erit. Cùm illi ipſi, qui juris Civilis conſtitutiones carpunt, atque in mul-

tis

tis jus Juſtinianæum improbant, idque Canonibus eſſe poſtponendum arbitrantur, adeoque nolint eſſe in uſu, (bene, an malè, jam non diſputo) adhuc fateri cogantur, id eſſe communiter receptum, & paſſim obtinere; quis credat, illos argumentum formâſſe non verum, quod tamen quàm maximum ſententiæ ipſorum adferret præjudicium? Cùm, quod receptum eſt, juſtum eſſe cenſeatur, donec probetur contrarium. Fatetur hoc *Lipſius*, cui diſplicet jus *Romanum*, qui ita de illo ſcribit: *Receptæ ſunt* leges Romanæ: *& quo fructu? Certè illo litium, nemo negaverit; quæ ex eo nimiùm quantum ſuccreverunt.* Et pòſt; *Ipſum Juſtinianæum jus vide: hic deficit, & multa ex ſimilitudine, aut obſcuris ex eo argumentis, judicantur.* Ad eundem effectum tendit, quod de *Juriſconſultis Proteſtantibus* ſcribit *Paulus Windeck*: *Ad hos*, inquit, *de Poteſtate Pontificia Canones reſpondent Jureconſulti ſectariorum, generatim iis ſe non*

DD. ad l. Barbarius D. Offic. Prætor.

Lipſ. Monit. & Exempl. Polit. c. 10. lib. 2.

Johan. Paul. Windeck Theolog. Jureconſ. loc. 7. circ. fin.

non teneri, & hujus immenſi Imperii ſomnia in jure Civili non reperiri; cujus ſolius auctoritati, & non Canonibus, ſint obſtricti. Undè, fatentibus Adverſariis, leges civiles apud noſtros auctoritatem juris habere pro certo recipitur.

Argum. §. Reſponſa. Inſtit. jur. nat. Gent. Init. Inſtit. Offic. jud. Novell. 82. §. pen.

Altera, & quidem præcipua mihi ratio eſt. Cùm id ipſum dicatur vim legis obtinere, ad quod Judicem in ſententiâ ferendâ collimare oportet: atque apud nos teneantur Judices, ceſſantibus ſtatutis & Principum conſtitutionibus, *jus* ſequi *Civile*: in tantum etiam, ut in Civiles leges jurare teneantur; evidens eſt, illud apud nos vim *legis* obtinere.

Grot. Introd. jur. Holland. part. 2. c. 28. p. mihi 105;

Quod dico, Auctorum *teſtimoniis* confirmatum ibo, qui ſtatuunt, moneri Judices, ut in caſibus, moribus, ſtatutis, Ordinum conſtitutionibus non deciſis, recurrant ad jus *Civile Romanorum.* Saecken voorvallende (ſunt verba *Grotii*) die ſouden ſchijnen by 't gene voorſeyt is, niet genoegh geſliſt te zijn, ſouden geſchickt moeten wer-

werden/niet naer aeſdoms / ofte ſchependoms-recht / nochte naer Lant-recht van den jare vijftien hondert tachtentich : maer de beſchreven Roomſche rechten / ghelijck ſulcks by de Staten duydelijck is gewilt; reſpicit Ordinum *Hollandiæ* conſtitutionem, de' *An.* 1599. paulò pòſt à me notatam. Quod etiam expreſſit Imperator *Carolus* V. in confirmatione ſtatutorum Urbis *Ultraj.*, hiſce verbis : Ordonneren / datmen in alle ſaken en ſtucken / niet begrepen ende verklaert in deſe voorſchreven Ordinantie/ ſal procederen/ ende hem reguleren / Conformeren naer diſpoſitie van't geſchreven recht. Hoc ipſum ſecuti Ordines ejuſdem Provinciæ, qui in conſtitutione ſuper *Matrimonio* voluerunt, ut in caſibus non expreſſis id agerent, ſoo ſy na die Goddelijcke en Keyſerlijcke rechten ſullen bevinden te behooren. Et pòſt; Sullen daar over geſtraft worden Conformelijck den Wereltlijcken beſchreven rechten. Et dein;

Anton. Matth. tract. de Auction. l.1. c.18. p. 216.
Stat. Urbis Ultraj. rubric. ult in concluſ.
Auth. Bat. Acad. p. 598. in med.
Conſtit. Ordin. Ultraj. ſuper Matrim. An. 1585. 17. Maji. Artic. 22. 24. 29.
Art. 14. conſtit. Ordin. Holl. An. 1599.
Merul. Prax. civ. lib. 4. c. 1. in jur. form.

dein : ſullen hen reguleren / ſoo in peyne/ als anderſins / naer beſchreven rechten. Et aliâ conſtitutione Ordinum Provinciæ Trajectinæ. Verklarende voor nul/ ende van onweerden alle 't gene ter contrarie geſtipuleert is/ ofte gedaen ſal werden; al 't ſelve caſſerende ende annullerende midts deſen / niet tegenſtaende eenige oock beſchreven ofte andere rechten / Ordinantien/ Placcaten / ofte Coſtuymen ter contrarie/ de ſelve derogerende mits deſen. Ubi cùm juri Civili derogetur hâc in parte, & derogatio legis ſit ejuſdem vis obligatoriæ privatio : hæcque præſupponat habitum ; ſequitur etiam, in cæteris non derogatis juri civili eſſe locum. Et inſtructione Curiæ Provincialis ita ſtatuunt : Ordonnerende / datmen in allen anderen ſaecken / den ſtijl van procederen betreffende/ende in deſen niet begrepen / hen ſal reguleren naer beſchreven rechten. Idem etiam ſervatur in ditione *Vianenſi*, noſtræ vicinâ

Conſtit. Ordin. de reditibus atque penſionibus, &c. de Ann. 1598. Jan. 19. Inſtruct. cur Prov. Ultaj. in fin.

vicinâ Provinciæ; cujus ſtatutorum verba ſic ſonant: Ordonnerende / datmen in alle andere ſaken in deſen niet begrepen / hen ſal reguleren naer voorgaende onſe particuliere placcaten; ende die deficierende / naer beſchreven rechten. Cujus ordinationis Municipalis eò lubentiùs feci mentionem; quòd quoad maximam ſui partem ex ordinatione, ſeu ſtatutis, urbis noſtræ Ultrajectinæ ſit deſumpta; quòdque in illius ditionis Camerâ inſignes quotidiè Juris quæſtiones obveniant ſententiâ Cameræ definiendæ. Sic ut non erubuerit vir ampliſſimus *Chriſtianus Rodenburch*, Curiæ Provincialis Trajectinæ Senator meritiſſimus, laudatam alibi à ſe ſententiam, illius Cameræ judicato, ſi non munire, ſaltem exornare. Sic itidem *Hollandiæ* Ordines, poſtquàm jus novum condidiſſent: Eyndelick alle andere ſucceſſien / daer van hier boven niet en is gediſponeert / ſullen gereguleert worden na de wereldtlicke

Statuta civitatis, & agri circumjacent. Vianenſ. in fin.

Chriſt. Rodenb. tract. de jur. conj. c.4. tit.2. p.274.

ke beſchreven rechten.

Verùm *ſcrupulum* aliquem injiciunt ea, quæ tradidit *Merula* de auctoritate Conſtitutionum noſtrorum Ordinum: **Alle 't gene de hooge Overheydt, etc. gebiedende is, heeft geen minder kracht ende auctoriteyt, als de vermaerde wetten ende ordinantien, eertijdts by den Romeynen geëmaneerd, ende in geſchrifte allen natien mede gedeelt.** An ſenſus verborum iſtorum eſſe videbitur, jus Civile Romanorum parem cum Ordinum noſtrorum conſtitutionibus auctoritatem ſortiri; adeoque ſimul cum Edictis noſtrorum Principum admitti jus Civile: non autem demùm obtinere Edictis ceſſantibus? Aſt hæc expoſitio è diametro noſtræ ſententiæ, quam de Juris Civilis auctoritate deprompſimus, adverſaretur. Hic itaque mihi videtur eſſe verborum iſtorum *ſenſus*. *Vel* quòd tantum auctoritatis apud nos habeant Ordinum noſtrorum Edicta, quantum apud Romanos habue-

Merul. prax. civil. lib. 1. cap. 1. tit. 4. n. 6. in fin.

habuerunt jura à ſe lata. Id eſt, & illa apud nos, & hæc apud Romanos, vim & robur legum obtinuiſſe, *Vel*, quòd apud nos Ordinum noſtrorum Edicta juri Civili Romanorum ſint præponenda; adeoque hoc jus civile poſtponendum, utpote demùm locum habiturum edictis Ordinum ceſſantibus, aut deficientibus. Licet enim phraſis illa Belgica, **geen minder** / nonnunquàm deſignet æqualitatem: ſubindè tamen infert exuberantiam & præeminentiam quandam; ſicut, quemadmodùm apud Latinos, *non eſſe altero minorem*, ſignat etiam, quem eſſe alteri præferendum: ita vocabula, **geen minder** / notant plus auctoritatis & roboris eſſe apud nos in Ordinum Edictis, quàm eſt in legibus à Romanis latis. Atque ita explicata verba *Merulæ*, noſtram ſententiam non evertent, ſed potiùs confirmabunt.

Tertia mihi ratio etiam hæc eſſe videtur. Quòd *Juris Civilis* profeſſio in Scholis ſit vetuſtiſſima,

ma, ubique recepta: quod fruſtrà, & maximo cum Studioſorum detrimento, fieret, niſi jus Juſtiniaeum in Foro eſſet receptum, ibidemque legis auctoritatem haberet. Aliter enim id abſurdum ſequeretur: Juris Studioſos in Scholis didiciſſe, quòd, cùm ad Forum ſe tranſtuliſſent, dediſcere eos oporteret; adeoque ſine ullo commodo laborem & curam in jure Cæſareo addiſcendo inſumpſiſſe: atque juris Antiſtites id anxiè inculcâſſe, quod juris rationem apud nos non obtineret. Aliter ſenſit *Coſtalius*, qui tradidit, ſe ad eos converſurum orationem, qui quondam *Jus Civile in clamorem & castra ſint perducturi.* Igitur non, uti nonnulli volunt, oblivioni tanquam in Foro inutilia tradenda, quæ quondàm in Scholis addidicimus. Quos etiam notat *Coſtalius, qui cùm pecuniam ultra modum facere volunt, tam multis negotiis ſe obruunt, ut illis ad præclara ſe ſtudia referendi nullum otium relinquatur. Et quod*

Beuſt. de jurejur. in Præf. Oldendorp. in claſſ. epiſt. Dedic. Thuld. præf. In Damhoud. p. 2.

Coſtalius in Paterg. adverſ. p. 6, & p. 32.

Coſtal. in Parerg. Adv. p. 32.

quod tempus eos ad Jus Civile majores efficere debuiſſet, hoc in eis potiùs inſcitiam & tarditatem pariat. Diſplicet igitur *Beſoldi* ſententia, qui non aliâ de causâ exiſtimat *jus Romanum* doceri, quàm quòd leges quaſcunque recte interpretandi, ritèque applicandi modum doceat. Quinimò & ideò doceri jus Romanum notum eſt, quòd in caſu *Statuti* obſcuri ad jus Civile recurratur; adeoque Statuta ſic explicentur ex communi ſententiâ, ut quàmminimùm jus Civile lædant, eiq; adverſentur. Quod certum eſt argumentum, jus Civile poſt Statuta locum habere, nec ab eo ſine gravi cauſâ Judicem in judicando recedere oportere.

Beſold. Synopſ. Polit. lib. 2. c. 4. §. 11.

Vide meas, quas de *Statutis* ſcripſi. diſpp.

Quarta, & ultima, ratio, quæ pro jure *Civili* militat, hæc eſt. Habet jus Civile legis auctoritatem apud nos; *&*, quia ut æquum in Provinciis noſtris receptum eſt; *&*, quia cenſemur fuiſſe (ſive de facto, ſive de jure, jam non examino) intra Imperii circulos. *Pri-*

ma, ubique recepta: quod fruſtrà, & maximo cum Studioſorum detrimento, fieret, niſi jus Juſtinianæum in Foro eſſet receptum, ibidemque legis auctoritatem haberet. Aliter enim id abſurdum ſequeretur: Juris Studioſos in Scholis didiciſſe; quòd, cùm ad Forum ſe tranſtuliſſent, dediſcere eos oporteret; adeoque ſine ullo commodo laborem & curam in jure Cæſareo addiſcendo inſumpſiſſe: atque juris Antiſtites id anxiè inculcâſſe, quod juris rationem apud nos non obtineret. Aliter ſenſit *Coſtalius*, qui tradidit, ſe ad eos converſurum orationem, qui quondam *Jus Civile in clamorem & caſtra ſint perducturi.* Igitur non, uti nonnulli volunt, oblivioni tanquam in Foro inutilia tradenda, quæ quondàm in Scholis addidicimus. Quos etiam notat *Coſtalius*, *qui cùm pecuniam ultra modum facere volunt, tam multis negotiis ſe obruunt, ut illis ad præclara ſe ſtudia referendi nullum otium relinquatur. Et quod*

Beuſt. de jurejur. in Præf. Olden-dorp. in claſſ. epiſt. Dedic. Thuld. præf. In Dam-houd. p. 2.

Coſtalius in Paterg. adverſ. p. 6, & p. 32.

Coſtal. in Parerg. Adv. p. 32.

quod tempus eos ad Jus Civile majores efficere debuiſſet, hoc in eis potiùs inſcitiam & tarditatem pariat. Diſplicet igitur *Beſoldi* ſententia, qui non aliâ de cauſâ exiſtimat *jus Romanum* doceri, quàm quòd leges quaſcunque recte interpretandi, ritèque applicandi modum doceat. Quinimò & ideò doceri jus Romanum notum eſt, quòd in caſu *Statuti* obſcuri ad jus Civile recurratur; adeoque Statuta ſic explicentur ex communi ſententiâ, ut quàmminimùm jus Civile lædant, eiq; adverſentur. Quod certum eſt argumentum, jus Civile poſt Statuta locum habere, nec ab eo ſine gravi cauſâ Judicem in judicando recedere oportere.

Beſold. Synopſ. Polit. lib. 2. c. 4. §. 11.

Vide meas, quas de *Statutis* ſcripſi. diſpp.

Quarta, & ultima, ratio, quæ pro jure *Civili* militat, hæc eſt. Habet jus Civile legis auctoritatem apud nos; *&*, quia ut æquum in Provinciis noſtris receptum eſt; *&*, quia cenſemur fuiſſe (ſive de facto, ſive de jure, jam non examino) intra Imperii circulos. *Pri-*

orem partem confirmat *Grotius*:

Grot. introd. Juriſprud. Holl. libr. 1, c. 2.

Soo wanneer van eenighe ſaken geen beſchreven Land-rechten/ Handveſten / Keuren ofte gewoonten / en werden bevonden; ſoo zijn de rechter van outs by eede vermaent geweeſt daer in te volgen de beſte reden / naer hare wetenheyt/ende beſcheydentheyt. Doch / alſoo die Roomſche wetten / inſonderheyt ſulcx / als die

Autor. Batav. Arcad. p. 756. 758. 875.

ten tijde des Keyſers Juſtiniaen vergadert zijn geweeſt / by verſtandige luyden bevonden werden / wijſheyts ende billickheyts vol te zijn / ſoo zijn de ſelve eerſt als voorbeelden van wijſheyt ende billijckheyt/ende met der tijdt door gewoonte als wetten aengenomen. De Provinciâ *Friſicâ* mul-

Sand. deciſ. Friſ. l. 2. tit. 2. def. 1.

tis id confirmat & probat *Sanden* in ſuis Obſervationibus. *Apud Friſios*, inquit, *perpetuum ac ſolemne eſt* (*ut* Thomas Herbajus *inquit*, libr. ſingul. rer. quot. c.13. §. 6.) *ut jure Civili utantur, niſi qua de re quid aliter cautum, aut*

Idem defin. 7.

uſu receptum eſt. Et alibi: *In noſtrá*

ſtrà Friſiâ ſtrictiſſimè jus Romanum obſervatur, in quibus ſpeciali conſuetudine ei non eſt derogatum. Et alibi: *Friſia jure ſcripto utitur, in omnibus, de quibus nihil ſpeciatim Ordinum placitis ſancitum, vel longo uſu & conſuetudine aliter obſervatum reperitur.* Idem de *Hollandiâ*, *Ultrajectinâ* Provinciâ, aliiſque affirmandum eſſe, *teſtimoniis* anteà allegatis (quibus dicebatur, ad jus *Civile* eſſe recurrendum, *deficientibus ſtatutis & moribus*) ſatis fuit confirmatum. Atque ita, licet Belgarum Provinciæ præciſè juri Romanorum non eſſent adſtrictæ; tamen vim legis obtineret; (uti de regno *Galliæ* affirmat *Imbertus*) quia à longo tempore jus tale ad-
,, miſerunt. Quo argumento, ut
,, potè certiſſimo, paſſim utitur
,, *Gentilis*: probaturus enim, le-
,, ges *Codicis* è Græco in Latinum
,, verſas jus eſſe; hoc profert me-
,, dium, quia eaſdem *uſus ſuſcepit*,
,, *& approbavit longus*. Quod etjam medium quoad ſenſum alle-

Idem def. 1. tit. 7. libr. 2.

Imbert. Enchir. jur. Gall. p. mihi 201. poſt. edit.

Vid. eandem rationem leg. Wiſighor. lib. 2. tit. 1. 19. Capitul. Caroli Magni, libr. 6. tit. 269.

Alb. Gentilis. diſp. libr. jur. civil. c. 5. in fin.

gat,

gat, illaturus *Feudorum* libros jus facere: quia *illi libri, qui pro Authenticis obſervati, allegati, per tanti temporis ſpatium, cujus initii memoria non extat in contrarium*, jus faciunt.

Idem cap. ult. libr. diſp. jur. civil. p. mihi 71.

Verùm, quod plus eſt, etiam apud nos locum habet jus Civile; quia, ſi non ad Imperium ſpectant, ſaltem ſpectârunt noſtræ Provinciæ: idque erat *alterum* membrum, quod probandum ſupererat. Hoc autem valere argumentum, ex eo colligitur; quòd, cùm *Imbertus* probare vellet, Regem *Franciæ* civilibus legibus non teneri, id probet hâc ratione, *quòd non ſubſit Imperio*. Itaque è contrario benè colligitur, eos, qui pertinent ad Imperium, aut anteà pertinuerunt, etiam legibus civilibus teneri. Quod de *Brabantinis* apertè fatetur *Thuldænus*: *Brabantos etiamnum antiquis Romanorum legibus, jure civili, communi, ſive ſcripto uti, ac ex amuſſi regi debere; non ob legum æquitatem, aut quoad earum rationem ſolummodò*:

Arg. l. 26. §. 2. D. Pact. Dotal.

Thuldæn. Præfat. ad Damhoud. Prax. civil. not.

modò: ſed, *quia* nondùm ab Imperio cenſentur ſeparati. Et quod ſpectat Provinciam *Ultrajectinam*, eandem fuiſſe Imperii participem, iiſdem legibus uſam, innuere videtur *Radelantius*: qui, cùm ſententiam Curiæ fundatam vellet ſuper concordatis Germanicæ nationis, haut obſcurè ad Germanicam nationem Provincias noſtras refert. Et, licet Belgicæ Provinciæ jam ſint liberrimæ, in quantum tanquam Feuda (diſſenſum de Trajectinâ ditione, aliiſque alibi vide) dominium ſuperius non agnoſcunt, & ſemet Imperii ſubjectioni exemerunt: non tamen penitùs, quo tempore propior unio Trajectina conſtituereiur, divortium fecerant.

Radel, deciſ.cur. Ultraj. 48, n. 7.

Thuldæn. loc. cit. D. Chriſt. Rodenb. Ultraj. cur. Senat. Tract. de jur. conj. in init. p. 6.

Quod ne videar in Belgarum dixiſſe præjudicium; adeundus erit *Carpzovius*, qui Provincias Belgicas omnes, quas *Carolus V.* Belgarum Princeps habuit, circulo Burgundico comprehenſas, ad Imperium tunc pertinuiſſe, prolixè ſatis ex *Imper. Receſs. ann.*

Carpzov. de leg. Reg. Germ. c. 7. ſect. 10. n. 11. & ſeq.

1548. confirmat. Accedit, quòd Belgæ in libello quodam ſupplici Imperii ſtatibus *ann.* 1570. in Comitiis Spirenſibus exhibito, tum temporis ſeſe ad Imperium ſpectaſſe fateantur. Verba exhibebo.

Daniel Otto, de jure Public. Imper. Rom. c. 23.

Ipſum denique Carolum Imperatorem non ita pridem univerſam illam ditionem inter ſacri Imperii ordines ac limites Auguſtæ publicis comitiis Germaniæ Principibus aſſentientibus retuliſſe, ut eſſent in Imperii tutela contra omnem vim atque injuriam: eoque nomine ad omnia Imperii comitia legatos ex Provinciâ Belgicâ miſſos fuiſſe, tributumque ad Turcæ vim repellendam imperatum præſentaſſe, ac etiamnum hodiè litem inter Brabantiæ Ducem ac Epiſcopum Magdenburgenſem, uter eorum in comitiis digniori loco ſedere debeat, in judicio eſſe. Ita ut indubiè inferioris Germaniæ Provinciæ ab Imperio alienæ exiſtimari non poſſint. Denique, ne plura huc facientia cumulem; ſuffecerit adduxiſſe locum ex *Hooftio*, Unioni

Eman. Meteran, lib. 27. ſuæ hiſt. Vid. Autor. Batav. Arcad. p. 313. 314.

Ultra-

Ultrajectinæ *ann.* 1579. præmiſſum: Zijn dienvolgende by de Gedeputeerden van de voorſchreven Provintien volkomentlijcken by den haren reſpective hier toe geauctoriſeert / gearreſteert ende geſloten / die poincten ende articulen hier naer volgende / ſonder in allen gevalle (nota bene) hen by deſen te willen ontrecken / van / ofte uyt / den Heyligen Roomſchen Rijcke. Hooft. Hiſtor. Belgic. l. 14. ad ann. 1579.

Cùm igitur ex allegatis evidens ſit, *Belgicas Provincias* ad Imperium (non tamen ut Feudum) pertinuiſſe; eoque nomine leges Romanas ut Imperii leges agnoviſſe: neque ſi fortè mutatus ſit Imperii ſtatus, *jus ſtatim mutatum eſſe, dicendum ſit*; (*cùm, ſi toties jus, quoties Imperium, fuiſſet mutatum; jamdudùm jus illud locum, ubi conſiſteret, fermè non inveniſſet*) conſequens eſt, etiamnùm jus *Civile in Dicaſteriis uniti Belgii*, quamdiu abrogatum & ejuratum non eſt, *juris* auctoritatem retinuiſſe. Thuldæn. Præf. ad Prox. Civil. Damhoud. D. Chriſt. Rodenb. Sen. Ultraj. libr. all. c. 1. n. 6. p. 6.

IX. Sed fortè *dubia* nonnulla contra ſententiam à me ſtabilitam moveri poterunt. Et quidem *objicitur* 1. Cùm pleraque, quæ jure Civili Juſtinianæo continentur, apud nos ſint abrogata; (uti id colligitur ex iis, qui de legibus Romanorum abrogatis ſcripſerunt) fruſtrà tam anxiè pro juris Civilis auctoritate ſtabiliendâ laboramus, ac ſi id apud nos *legis* habeat vigorem.

Groenweg. de leg. abrog. Cypr. Reg. ab Ooſterg. Cenſ. Belg. Leeuwen parat. jur. noviſſ.

Ad quam difficultatem *reſpondeo* 1. Non nego quædam juris civilis reſponſa, recepta non eſſe: (uti id ipſum antea notavi) verùm eo ipſo mea non evertitur ſententia, ſed potiùs confirmatur. Cùm enim exceptio confirmet regulam in caſibus non exceptis; ſequitur, (cùm in quibuſdam cauſis abrogatis de conſuetudine generali, de Edictis & Statutis Ordinū & civitatum, jus civile non obtineat) id ideò in cęteris obtinere. Fruſtrà quippe abrogatur lex, quæ lex non eſt; adeoque fruſtrà diceretur, leges civiles abrogatas eſſe

apud

apud nos, niſi eædem ut leges receptæ fuiſſent. Privatio enim, uti dixi, præſupponit habitum; adeoque abrogationem antecedit legis rogatio, quæ eſt legis receptio & approbatio.

Reſpondeo 2. Licet pleraque ſecundùm nonnullos, quæ ſunt juris Civilis, de moribus vicinorum noſtrorum videantur eſſe antiquata; adeoque in Foro uſum non ampliùs habere: penitiùs tamē examinanti jus *Civile Romanorum*, illudque cum jure hodierno, ſtatutis municipalibus conferenti, contraria ſententia verior eſſe videbitur.

Quod ne à me prolatum temerarium aſſertum, & ſine fundamento dictum videatur, non meis, ſed magnorum virorum, dictis hoc ipſum confirmabo. *Demirari non ſatis poſſum*, inquit *Antonius Mornacius*, *quid Argentræum moverit, ut rixoſam vocaret Juris Romani prudentiam, uſuque & Tribunalibus magnâ ex parte eje-* Mornacius ad l. 1. D. juſt. & jur.

ſtam. Quantò rectior & verior magni illius Chriſtophori Thuani vox, qui jus Civile non modo ſcriptam eſſe rationem ſolebat dicere, ſed & ipſa verba emendatæ ab eo Veromanduorum conſuetudini inſeruit. Quæ etiam ſententia fuit *Eguinarii Baronis*, in hæc verba ſcribentis: *Nihil*, inquit, *in Jure Civili extat, quod Franci pragmatici ad uſum fori & judiciorum traducere non poſſint; id quod paucis ad ſingulos titulos demonſtrabo. Nimis enim ſæpè in Schola dictari audivi: Hic, vel ille, titulus non facit ad farinam apud Francos; cùm plerumque tituli vis, atque poteſtas ignoretur, vel qui hæc in Gymnaſiis dictitant, nihil Gallici Juris præter auditum habeant.* Et qui locus accuratiſſimè reſponſionem meam confirmat, (quòd puta *Jus Civile* apud noſtrates obtineat) in Scriptis viri celeberr. *Antonii Matthæi* reperitur. Qui, quòd animadverteret, etiam apud noſtros, uti apud Francos, in eâ parte multos errare; eum errorem alibi

Baro Inſtit. de juſt. & jure cit. ab Anton. Matth. in init. tract. de Judic.

alibi notare voluit. *Arduum eſt*, inquit, *vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem. Etenim non ſolum ex veteri prudentiâ quædam erant foro aſſerenda; ſed & ex novo, ſeu Provinciali jure, alia quidem civitate, alia vero Latio donanda. Utrumque inexpertis facile eſt: modeſtiùs judicant, qui periculum fecerunt. In univerſum tamen æſtimanti, non tantum negotii materia faceſſit, quantum quidem præjudicia illa, quæ homines domo afferre ſolent. Indoctis enim ſordet, quicquid ex iure Quiritium, terſum licet nitidumque, promitur: perindè ac ſi præſentis priſcique ævi immenſà diſcordia ſit; nec quicquam, quod nuperum illi putant, ex antiquitate repetitum deprehendatur. Hos ſanè toto cœlo errare, vel ſola ſubhaſtio arguit: in qua tractanda, ſi cum hodiernis, ſeu Ordinum, ſeu Magiſtratuum Edictis, conferas Romanum jus; facilè apparebit, nec obſoleta eſſe omnia, quæ vetuſtas ſcivit, neque omnia nova, quæ ſeculo placuerunt.* Talibus

Anton. Matthæus Præf. ad lect. in libr. de Auctionibus.

L.2.§.43. D. Orig. jur. libus itaque, qui ita jus civile contemnunt, ac ſi in foro locum non habeat reſponderi poſſet, quod *Q. Mutius. S. Sulpitio*, cauſarum patrono non ignobili. *Turpe eſſe, Patritiis, & nobilibus, & cauſas orantibus, jus in quo verſarentur, ignorare.*

L.2.§.4. Cod. vet. jur. Enucl. L.51. D. Ad leg. Aquil. *Obiicitur* 2. Cùm jus Romanum non omnibus modis ſit perfectum, multaque contineat, quæ vel æquitati, vel juri Divino, contraria, quia *contra rationem diſputandi* introducta; non videtur id uſque adeò apud nos eſſe recipiendum. *Reſpondeo*, negando ſequelam. Si enim ideò jus Civile Romanorum eſſet ejiciendum, quia fortè non ab omni parte perfectum; ſequeretur, nec ulla jura Municipalia, Ordinum Edicta, optimaque jura civilia pro ſtatu imbecillitatis humanæ, eſſe rejicienda. Cùm enim omne jus Civile ex jure naturali per modum concluſionis, vel ſpecialis determinationis derivetur: atque in concludendo, ut & determinando, huma,

humana Ratio imperfectè judicet, ſæpèque hallucinetur; fieri non poterit, quin omne jus civile, per ratiocinationem humanam poſt lapſum depravatam conſtitutum, obnoxium ſit imperfectioni & errori, ne dicam injuſtitiæ. Cùmque ex imperfectis ea ſint eligenda, quæ minùs imperfectioni ſunt obnoxia: interque jura civilia nullum hactenùs æquius fuerit repertum jure Romano; utpotè quod maximam cum *Moſaicis* legibus habet convenientiam) ſequitur evidenter, id ipſum jure merito, licet cum Divinis non comparandum legibus, quia non ſine nævis, eſſe recipiendum.

Ameſ. caſ. conſc. lib. 5. c. 1. n. 24. 25.

Zepper. in init. leg. Moſ.

Objicitur 3. Cùm leges Romanæ ad eos tantùm ſpectent, qui Imperio Romano ſubſunt: & noſtri Imperio ſubjecti non ſint; (cùm Imperatores Romani fuerint privati viri nobis) nullâ ratione nos Romanis teneri legibus, videtur eſſe ſtatuendum. Verùm *reſpondeo*, me in anterioribus pagellis abundè explicâſſe, quo ſen-

L. 1. Cod. ſumm. Trinit. L. 1. Cod. in Princ. de vet. jur. Enucl.

ſu jus Romanum apud nos vim *legis* obtineat. Et ſuffecerit hic cum *Alberico* dixiſſe, ſaltem *comprobatione* valebit, *uſuque diuturno.*

Alber. diſp. jur. civ. c. ult.

Objicitur 4. Aſt noſtri Judices in ingreſſu officii non jurant in leges Romanas; ergo nec illæ apud nos in Foro locum invenient. *Reſpondeo* 1. Id verum eſt: jam non jurant in leges, ſed tantùm *ſe jus & juſtitiam adminiſtraturos.* Quo fortè ſenſu accipiendum illud Clariſſ. *Anton. Matthæi*, ut procedat, *Judex hodiè nunquam jurat*: Nunquam ſcilicet in ſingulis cauſis. Nunquam in leges Civiles expreſſè. Certum enim, eos jurare in initio muneris ſuſcepti. *Reſp.* 2. Licet non expreſſè jurent in leges: (quod tamen moribus *Hollandiæ* obtinuiſſe teſtatur *Merula*, ſuperiùs allegatus) jurant tamen in leges *implicitè.* Neque enim quis jurare poteſt, ſe jus eſſe adminiſtraturum, niſi illud conformiter legibus, moribus ſit adminiſtraturus. Quid? quòd ideò implicitè in leges

D. Anton. Matthæus tract. de judic. diſp. ult. n. 55.

ges etiam jurent; quia in fine ordinationum jubentur in caſibus non ibidem expreſſis ſequi jus commune. *Reſp.* denique 3. Licet non jurarent in leges Romanas; non hinc tamen magis ſequeretur, eos non teneri ſequi jus civile, quàm ſtatuta & mores. Quòd nec in ſtatuta, nec in mores jurent, niſi implicitè, eo modo, quo eos in jus Civile jurare, oſtendi. Ut objectio in adverſum mota facili negotio removeatur.

Atque ita ſatis ſuperque demonſtravi, quanti in Provinciis *Belgarum*, & quidem *fæderatis*, *Jus Civile* ſit faciendum. Fortè quiſpiam me rogabit: *quid poſt Jus Civile in Belgarum ditionibus nos ſequi oporteat in iudicando*? Et *Reſpondeo* Licet Doctores velint, ſi quæſtio, de quâ controverſia inſtituta, jure Civili deciſa non ſit, ad Canones eſſe recurrendum: veriùs tamen, Canonibus Pontificiis exploſis, poſt leges Civiles, *rerum perpetuò judicatarum* aliquam rationem eſſe habendam. X.

Vid. Groenw. ad l. ult. Cod. de leg.

Et,

Et quamvis res communiter judicatas Judicem pręciſè ſequi non oporteat, (niſi ſint perpetuò ſimiliter judicatæ, quæ vim *legum* habent) cùm leges non ſint, quibus ſolis ſtandum eſt: atque etiam in judiciis perniciosè erretur; tamen, quia negandum non eſt, quin, *quod plurimis placuit, qui ſummam Juris ſcientiam nacti ſunt, totque tantiſque diſceptationibus definiendis tam diu frequentes fuerunt & aſſidui, prudenter ſapienterque ſit conſtitutum; non parum momenti exempla rerum judicatarum habere*, exiſtimandum eſt. *Quamvis enim Senator*, teſte *Sandæo*, *prioribus judicatis non ſit aſtrictus; ſed ab iis diſſentire ipſi liceat*: *religio tamen illi erit, recedere à majorum placitis, niſi urgentem ob cauſam, ac meliore prolatâ ratione.* Sit ergo rerum judicatarum habenda ratio, ſic tamen, ne unquàm tantæ ſint auctoritatis, ut evertant aut ſtatuta, aut leges expreſſas.

L. 38. D. leg.

Imbert. Præfat. Inſtit. Forenſ. Minſing. obſerv. Epiſt. ded.

Sand. Præf. deciſ. ibidemque text. cit.

L. nemo Cod. de Sent. & Intell. judic.

An verò poſt res judicatas

COM

COMMUNI ſtandum ſit OPINIONI, anceps eſt quæſtio? Et, quanquam pro *ſententiâ affirmativâ* non improbabiles militent rationes: (cùm veriſimile ſit, veritatem longè certius à pluribus, quàm à paucioribus, inveniri: & oculi plus videant, quàm oculus; adeoque deſipientis ſit arrogantiæ, quempiam ſuam ſententiam totius Orbis teſtimonio, aut ſaltem plurimorum auctoritati, anteponere: ac etiam in jure *opinio*, quæ *plurium etiam juris auctorum* nititur auctoritate, quandoque recepta eſſe legatur: idque ſuo exemplo probaverit *Ulpianus* Juriſconſultus; ut qui circa Athletas *Sabini* & *Caßii* opinionem eo etiam ſecutus eſt nomine, *quòd generaliter ita omnes opinentur*) attamen, quia jus incertum, vel non adeò apertum, ex jure certo, (quales ſunt *leges*) non attentâ *communi* Doctorum opinione, ſit æſtimandum: cùm Doctorum opinio quandoque ſit Doctorum error, atque *unius quandoque & deterioris*, puta aucto-

Coſtal. Parerg. adverſ.
L. 17. D. jur. Patron.
L. 4. D. de his, qui not. infam.
Cod. Aē mar. in fin. Apolog. n. 51.
L. 1. §. 6. Cod. vet. jur. Enucl.
Novell. 18 c. 5.

auctoritate, *ſententia, & multos & majores ſuperet*: cùmque etiam Jureconſultus *ſine lege loqui erubeſcat*: neque Doctorum opiniones ſint leges, aut legum habeant auctoritatem (*non enim quid alii ſentiant, ſed quid in rei obtineat veritate*, attenditur: cùm non, quid fiat, ſed fieri debeat, ſpectandum; non exemplis, ſed regulis, ſtandum ſit) &, quòd amplius eſt, juris maxima obſervaretur varietas, ſi ab incertâ Doctorum auctoritate dependeret; quia, quam quis cenſet communem, eâ adhuc fortè alia communior deprehenditur; *Probabilior* illa mihi ſententia, quæ, neglectis Doctorum opinionibus ſibi invicem repugnantibus, dubias juris quæſtiones *nonniſi ex certis legibus* decidendas eſſe, ſtatuit.

L. 12. D. Off. Præſ. L. 2. D. jur. fact. ignor. Henricus Nebelkra decis. quæſt. 1. Bocer. tract. de Adulr. c. 5. n. 51. & ſeq. Argum. §. fin. inſtit. qui ſui, vel alieni, jur. Hottom. Antitrib. c. 14. Cubach. in fin. libri Brocardicorum jur.

Dum dico *certas leges*, etiam *rationem* legis intelligo: cùm ubi una & eadem ratio ibi ſit idem jus, & quod in rationem legis impingit, etiam in ipſam impingat legem.

Quòd ſi tamen quiſpiam ſtandum

dum eſſe velit *communi opinioni*: quia fortè ei ſubeſt *legis* ratio; jam non tam ſequetur meo judicio multos, quàm rationem legis probabilem, quam multi amplectuntur. Ergo, licet ſint plures; rationem tamen probabiliorem non efficiet major Doctorum numerus, quàm minor: verùm ratio, quam nonnulli ſunt ſecuti, numero auctoritatem ſuperaddet. *Catonem* puerum Pædagogo paruiſſe, proditum: ſed non niſi in rationem inquirentem, quare id juberet? Ita æquum non eſt, Judicem in ſententiæ dictione tanquam ſervum petunt antecedentem Doctorum ſequi opinionem: niſi illi conſtet de ratione legis, quæ Interpretes moverit, cur ſic ſtatuerent? De numero *millenario* unitas præmiſſa dematur; quod ſupereſt, numerum non faciet: ſic à Doctorum ſententiis ratio auferatur: etiam omnis multitudo evaneſcet.

Olden-dorp, in Claſſ. in init. de ordin. jur. circ. fin.

Unicum ſupereſt inquirendum. *An non igitur GLOSSIS auctoritas juris ſit tribuenda?* Et

reſpon-

reſpondeo. Licet *Bartolus* ejuſque ſequaces exiſtiment, *Gloſſas* ſaltem communi præferendas eſſe opinioni: alii eas non modicam juris auctoritatem obtinere velint, ſic ut ſecundum *Baldum* Gloſſis ordinariis *ſit inhærendum, ſicut nautæ* temoni; non tamen exiſtimandum, Judicem ſecurum eſſe ſatis poſſe, ſi tantum Gloſſæ tribuat, ut in judicando eandem ſequatur: Non enim major Gloſſæ auctoritas, quàm unius in jure verſati. Cumque ne quidem ſequatur Judex multorum ductum, id eſt opinionem communem, multò minus Gloſſam ſequetur, quam tamen meritò infra Doctorum opinionem collocavero. Cùmque præceptum Judici datum ſit, *ne aliter judicet, quàm legibus, moribus & conſtitutionibus proditum eſt*: neque Gloſſas quiſpiam, aut moribus, aut legibus, annumeraverit; etiam eaſdem in judicando non ſequetur, niſi in quantum fortè vel lex, vel legis ratio, iis favet. Ne igitur Gloſſæ *tantæ ſint auctoritatis*,

Vid. D. Anton. Matth. diſp. 11. Tract, de judic. theſ. 9. Bald. in l. precibus Cod. de impub. & aliis ſubſtit. Arum. deciſ. 4. lib. 2. Bocer. loc. cit. Libell. cui titulus: *modus leg. abbrev. in utroque jur.* ad l. A. Init. Inſtit. off. jud.

Alber. Gent. diſp. jur. civil. c. 3. p. 25.

ritatis, (ſic loquitur *Imbertus*) *ut diluc*i*da Juriſconſulti verba ſubvertant*. Quòd ſi tamen Gloſſa *jure certo* & *rationibus fundatis* nitatur; dubium nullum eſt, quin ei fides & auctoritas ſit accommodanda. Quia tunc non nitimur Gloſſæ auctoritate, quàm quidem iis, quibus Gloſſa inhæret.

Sed quæret quis, *quid de CONSUETUDINIBUS dicendum Regionum vicinarum?* Et *reſpondeo*. Quamvis, neſcio quo jure, Togati in Dicaſteriis Reformatorum, tantam vicinarum conſuetudinum habeant rationem, ut quandoque, neglectis legibus ad fundandam intentionem iis ſolis utantur: & communiter Doctores poſt conſuetudinem Metropolis ad locorum propinquorum conſuetudinem recurrendum eſſe, velint; tamen, cum mores vicinarum Regionum, (quales ſunt *Hiſpaniæ, Galliæ, Portugalliæque* populorum, quos ut plurimùm allegant: ubi alia regiminis forma obtinet, religionis eſt diverſitas

Imbert. Enchir. jur. Gall. in verb. Evičtion. Jaſon. in l. 19. Cod. de Collation. Zaſius conſil 4. num. 14. D. D. ad l. 32 D. leg. Joh. Faber; Inſtit. jur. nat. Gent. civil. ad verbum, *Ex non-ſcripto.* circ. fin. Arg. §. fin. Inſtit. de Satiſdat.

ſitas, cœli alia temperies, ingenium populi & natura à noſtris diverſa) noſtræ rationis genio minùs ſint accommodati: neque quiſpiam benè Rempublicam adminiſtraverit, *niſi pro civium ſuorum indole quod maximè convenit*, adhibuerit: nec vicinarum regionum conſuetudo *juris* nomine veniat; (cum non egrediatur ſuum territorium) non magis, meo judicio, obligabitur Judex, ut ſequatur vicini loci conſuetudinem, quàm ſtatutum. Neque enim aliter differunt, *conſuetudo* & *ſtatutum*, quàm tacitum & expreſſum. Cùmque non ſit de officio judicis, Statuti populi propinquioris rationem habere; (neque enim unquam noſtri ſequuntur *Anglorum* ſtatuta) non etiam tenebitur ſequi vicinarum regionum conſuetudinem. Quòd ſi tamen cenſuerit, alterius regionis conſuetudinem non eſſe noſtræ diſſimilem, talemque vel legi civili, vel ejuſdē rationi conformem eſſe; eam in judicando ſequetur, non quà vicini

Smith. Reſpubl. Anglic. l. 1. c. 15. L. ult. D. Juriſd. Beſold. delib. jur. lib. 1. Pand. n. 15.

ni regni conſuetudinem, ſed quà lege rationeve ſubnixam.

Atque ita ex allegatis & probatis deductum fuit, præter Conſtitutiones, Statuta & Mores, præterque jus Civile Romanorum, in Dicaſteriis, Provinciarum Belgii, præſertim fœderati, nihil *præciſè* vim *legis* obtinere. Sic ut Judex, neglectis rebus judicatis, communi opinione, Gloſſis, vicinis conſuetudinibus, tantum reſpicere debeat ad *Statuta*, *Moreſque Provinciarum*: iiſque deficientibus, (niſi caſus ſint *feudales*, qui primum admittunt Feudorum conſuetudines) ad *jus Civile* ut æquiſſimum collimare:

Libr. 2. feudor, tit. 1. Clarus §. feudum quæſt. 3. Cujac. Præfat. ad libros feud. Neoſt ad. de feud. cap. 3. num. 12,

CAPUT VI. & ultimum.

Utrum noſtri JURIS DOCTORES PROPRIE & EX ÆQUO *J. U. DD. appellentur, id eſt tam* CANONICI *Juris, quàm* CIVILIS?

DE auctoritate juris *Civilis* & *Canonici* jam egi, quantum ſatis

ſatis eſt. Supereſt, ut cum ratione examinetur: *Utrum, qui ſecundùm jam receptam conſuetudinem in Academiis non tantùm Pontificiorum, ſed & Proteſtantium in Germania, ſed & Reformatorum in Belgio fœderato, ſummos in jure honores adipiſcuntur, titulo Doctorum Juris UTRIUSQUE* (id eſt, & juris *civilis*, ſeu Cæſarei, & *Canonici*, ſeu Pontificii) *inſigniuntur, æquali & pari jure UTRIUSQUE Juris ſint Doctores?* Atque eodem merito, quo iiſdem titulus juris *Civilis* Doctoris tribuitur, etiam titulus Doctoris juris *Canonici* concedatur: & ſine ullo diſcrimine, adeò propriè & verè ſint Doctores *Canonici*, quàm *Cæſarei* juris? Tamque illum, quàm hunc, ratione *ſcientiæ* ac *peritiæ* mereantur dignitatis gradum?

In quâ quæſtione decidendâ ſic ſtatuo. Juris noſtri Doctores titulo quidem Doctorum *utriuſque* juris decorari: ſic tamen, ut non ex æquo, in ordine ad utrumque jus, Do-

Doctorum gaudeant appellatione: Verùm re ipsâ, habito reſpectu ad jus *Civile*; & nomine tenus, ſaltem non ita, in ordine ad jus *Canonicum*.

Et, ut omnis in poſterum occaſio diſputandi nonnullis hic fortè diſſentientibus auferatur pauca ad quæſtionis deciſionem per modum præfationis præmittam. Nam, ſecundùm *Cajum*, *Præfationes & libentiùs nos ad lectionem propoſitæ materiæ perducunt: & cùm ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum.* L. 1. D. Origin. jur.

Principio igitur, quiſquis hæc mea legerit, ſciat, me in deciſione quæſtionis propoſitæ, libenter fateri,(neque enim hoc negare quiſpiam poterit, niſi qui eò devenit impudentiæ, ut praxin manifeſtiſſimam & quotidianam negare audeat) hunc eſſe in Academiis non tantùm Pontificiorum, ſed & Proteſtantium & Reformatorum, *morem receptum*, ut Candidati utriuſque juris titulo inſigniantur;

tur; adeoque talem *Doctorandi* modum *de facto* jam dudùm obtinuiſſe.

Deinde, me non in totum rejicere, aut damnare, hanc receptam conſuetudinem: cùm fortè, quod receptum, non ſine ratione quondam introductum eſſe, videri poſſit. Aut, ſi nulla ſubſit ratio; cogitandum ſit, etiam quædam, quæ juris ſunt, quandoque ratione carere: ſi non etiam contra rationem juris ſint introducta. Neque enim aſſero, neminem poſſe ullâ ratione titulo *Doctoris* U. J. inſigniri: verùm, loquendo *comparativè*, nego, ullos æquali jure & Doctoris juris *Cæſarei* & juris *Canonici* titulo apud nos gaudere, aut inſigniri poſſe. Admittam igitur non invitus receptum morem: ſic tamen, ut cum aliquo moderamine & temperamento is accipiatur. Et, quod ſpectat titulum Doctoris *juris Civilis*, ſtatuo, illum nobis jure merito applicari, citra ullam diſtinctionem, aut reſtrictionem: verùm, quod attinet titulum Doctoris *ju-*

L. 20. l. 21. D. leg.

ris

ris Canonici, eundem admodùm impropriè & abuſivè nobis applicari, aſſero. Ut, ſi propriè, ſi *accuratè*, ſi abſolutè loqui amemus, illa conſuetudo rejicienda ſit ut minus conveniens. Quòd ſi *abuſivam* eſſe locutionem, ſi illam ſano ſenſu accipi, ſi adhibito gloſſemate, quod in eo durum videtur, mitigari volumus; ita tolerari poterit, non tamen ut laudabile quippiam commendari: cum locutiones abuſivæ, & nomina per abuſionem rebus impoſita laudabilia non ſint. Et niſi, qui Doctores noſtros illis decorant titulis, quæſtionis ſenſum eo quo dictum eſt modo explicari velint, & ſub illâ explicatione acceptari; dicam, eoſdem morem obſervare *non ratione, ſed errore introductum, & ſic conſuetudine obtentum*; adeoque eo nomine non obſervandum.

Tertiò, Me non diſputare de facto, ſed de *jure*: neque inquirere, utrum retrò Academiæ in ſimilibus hunc morem ſervaverint?

L. 37. D. eod. verum utrum hunc morem obſervando (quod tum attendendum eſt, cùm agitur de eo, quod juris eſt) amplexæ fuerint, *quod rationi & juri eſt conforme*. Nolunt leges Civiles, ut ad antecedens factum *civitatis* attendamus: verùm

L. 12. D. Off. Præſ. ut, quid fieri debeat inquiramus. Sic etiam nolim attendi ad id, quod fit, quod obſervatur: verùm ad hoc, quod fit, attendi velim, utrum ſcilicet, ſi id rectæ rationi & juri Civili conſormiter examinetur, fiat ſatis laudabiliter?

Quibus præmiſſis, quæ propoſitæ quæſtionis ſpectabant intellectum; ſupererunt nonnullæ hypotheſes, quæ ad confirmationem noſtræ ſententiæ plurimùm conducent. Et quidem *primò* notandum, Doctoratum juris Civilis atque Canonici non eſſe titulos, uti nonnulli cenſent *inſeparabiles*; neque propter unam eandemque rem utrumque ſimul deberi: verùm aliis atque aliis niti fundamentis, diverſos reſpicere fines. Adeoque *de jure* non eſſe conjunctos:

ctos: *de facto* etiam quandoque disjunctos eſſe. Quid enim magis commune Canonibus cum jure Civili, quàm S. Scripturæ cum eodem; ut, qui eſt juris Civilis Doctor, magis debeat eſſe Canonum, quàm S. Scripturæ, Doctor: ſi fortè utriuſque habeat intellectum? Quid etiam notius, quàm in Papatu & apud D D. illos titulos eſſe toto genere ſeparatos, eſſe quem Doctorem juris *Civilis*, & eſſe juris *Canonici* Doctorem? Undè etiam ſtatuunt communiter: *Doctorem Canonum præferri Doctori juris Civilis*. Et addunt rationem; *quia ſcientia juris Civilis reſpicit ſimpliciter bonum publicum: ſcientia verò juris Canonici dirigitur non ſolùm in communem hominum utilitatem, ſed etiam in Deum, & animarum ſalutem.* Etiam ſtatuunt: *Doctorem Juris Utriuſque præferri Doctori habenti unum tantùm gradum.* Et, ut notat *Ritterſhuſius*, diſtinctio ſemper fuit ſervata inter *Canoniſtas*, (quos appellabant *Decretiſtas*) & inter juris *Civilis*

Johan. Andr. & Felin. in c. Clerici, de judic. Jacob Beny de Priv. Juriſc. part. 3. n. 21, 22.

Ritterſhuſ. tract. diff. jur. civ. can. p. 6. in proœm.

Civilis Interpretes, quos *Legiſtas* vocabant; ita ut diſtincta fuerint officia, Canones atque leges profiteri.

Secundò, etiam notandum, Juriſconſultos in *Papatu* non quidem *omnes*, ſed *illos*, qui *utriuſque* juris gradum ſuſcipiunt, *verè* & *propriè* appellandos eſſe *juris utriuſque Doctores*. *Tum*, quia ſecundum peculiarem aliquam Facultatem ibi jus Canonicum docetur, ac diſcitur. *Tum* etiam, quia ibi datur & confertur peculiaris gradus, à juris Civilis gradu diſcriminatus. *Tum* denique, *quia illi* parem utriuſque juris, & Canonici & Civilis, habent cognitionem: neque magis in hôc, quàm in illo ſunt verſati.

Tertiò, notandum eſt, quod antea fusè probatum fuit, *Jus Canonicum* in Dicaſteriis *Reformatorum legis* auctoritatem non habere. Adeoque Juriſconſultos Reformatos non obligari ad defenſionem juris Canonici, aut in totum, aut ex parte. E contrario verò in

in *Papatu* Juriſconſultos in deciſionibus alligari juri Canonico; ſic ut ne latum unguem ab eo recedant: cùm in Dicaſteriis Eccleſiaſticis & Civilibus ibidem obtineat vim *legis.*

Atque hinc ratio petenda eſt diverſitatis; quod, cum in Papatu ſint utriuſque juris Doctores, non tamen reperiantur, ſi non abuſivè loquamur, apud Reformatos. *Ibi* enim jus Pontificium viget, legibus Civilibus anteponitur: *apud nos* non item; tantum abeſt, ut juri Cæſareo præferatur. *Ibi* Doctores juris Canonici in caſibus decidendis, animarum curam ſpectantibus, ſunt occupati; quod ad illos peculiari jure ſpectat: *apud nos* autem Doctores utriuſque juris animarum nullam gerunt curam, ſecularibus tantùm intenti. Et, quod ſpectat deciſionem *Conſcientiæ caſuum*, eam in totum relinquunt Theologis.

Ut ille non ſit audiendus, qui, habitâ ratione cujuſdam conſuetudinis in Papatu receptæ, ean-

dem noſtris terris applicatam velit. Non aliter, ac ſi quiſpiam, non inſpectâ pedum magnitudine, ſoccum, aut cothurnum, uniformem omnibus adaptare vellet. Et, quemadmodum legum oportunitates & *medelæ pro temporum moribus flecti* debent: ita etiam conſuetudines, pro ratione perſonarum atque locorum, vel immutandæ, vel auferendæ ſunt.

Smith. Reſpubl. Angl l. 1. c. 15.

Sed ad *rationes* propero, quibus noſtra ſententia roboratur.

Illi quos Canonum cognitio & cura non tangit, minùs propriè Canonum Doctores appellabuntur: cùm denominatio à Canonibus ſit deſumpta; etiam *Canonici* juris Doctores in Papatu appellentur, qui ſuâ ſcientiâ hominem etiam ad *Deum* dirigunt, & *animarum ſalutem.* Verùm certum eſt, noſtros juris Doctores Canonum curam non habere, qui Eccleſiis & Eccleſiaſticis, quà talibus, præſcribebantur; non itaque propriè loquendo juris Canonici Doctores ſunt appellandi. Et, uti

juris

juris Civilis Doctores appellantur; quòd leges Civiles evolvant, explicent: ita ex oppoſito non erunt Canonici juris Doctores; quòd Canones nec ſciant, nec interpretentur. Accedit, quòd illi juris Canonici Doctores propriè nuncupandi non ſint, qui jus Canonicum nec antè didicerunt, nec unquam docere poſſunt. Nam, uti de virginibus *Veſtalibus* alibi *Seneca*, *poſtquam didicère, docent*: ita neminem Doctorem eſſe poſſe, niſi primitùs egerit diſcipulum, certi *juris* eſt. *Nullus* enim, ut ſtatuit *Conſtantienſis Synodus*, *ad titulos graduum & honorum aſſumatur, niſi idoneus & approbatus moribus & ſcientiâ, atque bene meritus: nec ita levis & nimiùm præcipitata promotio fiat. Nam, ut notum eſt, & multis ridiculoſum, multi Magiſtrorum nomen obtinent, quos magis adhuc diſcipulos eſſe, deceret. De facto* autem certum eſt, noſtros Doctores, juris Canonici ſcientiam ſibi non acquiſiviſſe. Unde etiam tale deſumitur Argumentum.

In Pragmat. ſanct. decreto de collation. §. item ut de cæter. fol. mihi 98.

 tum.

Argum. l. 1. 2. D. juſt. & jur. L. nemini Cod. Advoc. diverſ. jud. L. 7. & 10. Cod. Prof. & Med. L 1. Cod. Off. Magiſtr. offic.

tum. Cujus notitiam non profitentur, ejus abuſivè dicuntur Doctores. Verùm certum eſt, noſtros juris Doctores Canonici juris cognitionem non profiteri. Ideoque ejus Doctores non niſi abuſivè dicentur. Addam & hoc argumentum: non ſunt ejus Scientiæ Doctores, niſi in quà fuerunt examinati. Verùm pro comperto eſt, noſtros in jure Canonum non fuiſſe examinatos. Ergo. Quòd ſi circa Canones ipſorum vires exploraremus, in illos eſſemus injurii; ut qui ſciamus, nec publicè, nec privatim, eoſdem juris Canonici explicationem audiviſſe. Neque enim apud Reformatos Canones pro pulpito ex profeſſo explicantur, docentur; neque privata collegia ab ullo juris Profeſſore ad jus Canonicum inſtituuntur, aut habentur. Ut nullo jure Profeſſores Candidatos examinarent in illâ arte, in quâ eoſdem nunquam exercuiſſent. Et, quod maximè urget, cùm nullum teneantur edere ſpecimen ſuæ in jure Cano-

Canonum eruditionis; (neque etjam poſſent eruditionis ſpecimen exhibere, ratione iſtius juris) ineptum eſſet, eoſdem in illo jure promoveri. Præſertim cum ejus ſcientiæ tantùm ſint, & debeant eſſe Doctores, ſi propriè loquamur, de quá rogati reſpondere poterunt. Verùm, cùm nequeant reſpondere de jure Canonum, quos ignorant; non propriè juris Canonici Doctores appellabuntur. Immò, cum admitti nullo jure debeant ad juris Canonici gradum; quo jure ejus ſint Doctores, quove modo gradum illum adepti ſint, non video. Si enim Promoti, qui ſe ignaros præbent Canonum, ut indigni repudiari debent; multò minus ad juris Canonici gradum admitti poterunt. Ut talibus illud *Gualvani Bononienſis*, jure merito applicari poſſet: *Doctores UTRIUSQUE juris videri volunt, veriùs NULLIUS.*

Argum. §.47. D. Orig. jur.

Arg. l. ſed & reprobari. D. excuſ. tut. L. 2. Cod. Prof. & Med.

Gualvan. Bonon. de diff. jur. civil. & can. circa fin. Abb. ad c. Cleric. de judic.

Quòd ſi tamen quiſpiam ſe juris Canonici Doctorem velit; quia

Bertach. in repertor. in verbo: juris.

forte *gradum aſſumpſit*: (*quod multi faciunt, neſcientes rubricas in ordine librorum*) non tamen *verè* & *propriè* juris Canonici Doctor futurus eſt: ut qui privilegiis, quibus veri U. J. D D. uti, frui, conſueverunt, indignus ſecundùm D D. cenſeatur. Quo nomine elegantem tradit deciſionem *Jacobus Benius*: *Quod ſi quis*, inquit, *in altero ſtuduerit, in altero promoveatur, ut ſunt ii, qui doctorantur in jure Pontificio, qui tamen prorſùs Canones ignorant; per hoc non debent præferri Doctoribus juris Canonici, ex quo gradus ille invalidus eſt.* Cui jungatur deci-

Jacob. Ben. de Privil. Juriſc: part. 3. n. 25.

Rebuff. Tract: de Nomin. quæſt. 5. n. 8. ibidemque varii citati.

„ſio *Petri Rebuffi*, qui *inquirit*, an
„ qui altero tantùm ſtuduit, & gra-
„ dum ſumpſit in utroque; uterque
„ valeat gradus, an neuter? Et *re-*
„*ſpondit*, illum, in quo ſtuduit, tan-
„ tùm valere: alterum non item.

Ne quis autem hoc, quod ſcribo, in deteriorem rapiat partem; ſciat, me non omnibus noſtris Doctoribus hoc applicatum velle, ac ſi prorſùs ſint juris Canonum imperiti:

riti: (certum enim, nonnullos etjam non contemnendam privato ſtudio Canonum acquiſiviſſe notitiam) verùm *multis*, ſi non pleriſq;, de quibus hoc accipi poterit, quòd juris Pontificii prorſus ſint ignari. Saltem id mecum ipſi fatebuntur, tantam ſe non acquiſiviſſe iſtius juris ſcientiam, quanta quidem requirebatur in eo, qui ſe *Doctorem* eſſe profitetur.

Verùm objiciet fortè quiſpiam, & jus *Canonicum* apud nos receptum eſt, & aliquam ejus notitiam profitentur D D.; ut etiam iſtius juris D D. ſint promovendi. *Reſpondeo.* Licet jus Canonicum apud nos legis auctoritatem obtineret, & noſtri juris Doctores æqualem, & juris Civilis & Canonici, haberent notitiam: non tamen ideò utriuſque juris Doctores *propriè*, ſaltem non ex æquo, vocarentur. Cùm non tantùm à peritiâ *Doctoratûs* titulus deſumptus ſit, ſed etiam ab examine prævio, ab eo, quod in Scholis docetur. Quo nomine Juris Civilis ſunt

Beſold. diſſ. de libr. jur. c. 2. Oldend, in epiſt. dedic. in claſſ.

atpote Doctores: cujus *habent no*-titiam, quod publicè docetur, explicatur. Verum, cum non amplius in Scholis doceatur, atq; in noſtrâ Republicâ ceſſet jus Canonicum, ſi unquam obtinuerit; (quod *fundamentum eſt, cur in Papatu ſint* Canonici juris Doctores) etiam non amplius ille titulus, ſi propriè illum velint acceptum, locum eſt habiturus: cùm, ſublatâ causâ, effectus ab illâ dimanans auferatur: Amplius. Licet jus Canonicum apud nos eſſet receptum, approbatum: *non tamen* ſequeretur, ideò *noſtros* Juris *Doctores*, in utroque Jure eſſe promovendos. Neque enim jus Canonicum, ſed *Civile*, condunt noſtræ ſupremæ poteſtates. Et, ſi Canones reciperent, jus nobis eſſent, non Canonicum, verùm *Civile*; ut qui Canonibus vim legum tribuerent ſuâ confirmatione. Cumque, qui confirmat aliquid, id confirmando ſuum faciat: (neque ſupremæ poteſtates ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, verum civiles) ſequitur, eas, con-

Argum. init. & §. 3. Inſtit. Milit. Teſtam.

firman-

firmando Canones, ſuos facere; adeoque non Canones, ſed civiles facere leges. Et per conſequentiam noſtri Doctores, *civilis* Juris Doctores eſſent nuncupandi.

Quid? quòd, imperante *Juſtiniano*, (licet Canonibus plus auctoritatis fuerit tributū, quàm æquum erat: uti id antea explicavi) Doctores nunquam Juris *utriuſque* conſulti fuerint appellati: verùm tantum *Juris* Doctores. Undè *Theophilum*, virum anteceſſorem, *juris in almâ urbe Doctorem*, & *Dorotheum legum Doctorem*, appellat Imperator; paſſimque Juriſperitos, *juris Anteceſſores*; ut qui de jure civili, non præciſè de Canonibus, reſpondebant. Cùmque *creandi Doctores* inſtitutum indè ſit deſumptum, quòd ab Imperatore Juriſconſultis facultas ſit conceſſa, interpretandi Jus Civile, *reſpondendi* de jure Civili, non præciſè de Canonibus; non video, quo jure ab origine devians noſtrum promovendi Doctores inſtitutum ad *utriuſ*-

In tit. de novo Cod. fac. ad Sen. Urb. Conſt. Et §. 1. in fin. de Juſt. Cod. conf. ad Menn. Et §. 2. de Emend. Cod. Juſt. §. 8. Inſt. jure nat. gent. civ. L. 1. D. de Offic. Aſſeſſor.

que juris formulam ſit tranſlatum.

Sed denique quiſpiam *objiciet*: Morem hactenus receptū in Scholis Reformatorum improbandum non eſſe: multò minùs explodendum: cùm, quod ſemel placuit, mutandum *non ſit, niſi id evidens* ſuadeat utilitas. Verum *reſp.* 1 Morem conſuetum, quem *reformare difficile eſt*, ſic reformandum eſſe, ut jure ſtare poſſit? *Reſp.* 2. Probandum eſſet ab adverſâ parte, morem illum receptum *laudabilem* eſſe, & rationibus veris, efficacibus, non *deſtitui*. Id ſi probatum fuerit, non reclamabo; quin *ſpontè Adverſariis*, ſi qui ſint, manus ſim traditurus. *Reſp.* 3. Non à recepto more probatur cauſæ æquitas: verùm à cauſæ æquitate, morem receptum non eſſe pravum, non eſſe reprobandum. *Reſp.* 4. Non à me improbata eſt in totum recepta illa *conſuetudo*: verùm improbata, in quantum malè explicata applicatur; ac ſi illâ deſignetur, noſtri juris Doctores propriè loquendo, ſecundùm tituli explicatio-

L. 2. D. de Conſt. Princ. L. 37. D. de Ædil. Edict.

L. 2. Cod. quæ ſit long. conſ. Bernegg. qu. 107. in Tacit. German. Zyp. jur. Pontif. Anal. Enarr. p. 28.

cationem in Papatu receptam, eſſe juris Canonici Doctores. Sed 5. denique *Reſp.* Quid noſtrum judicium vinci & capi patimur à *conſuetudine?* Non, quicquid conſuetudine receptum, ſtatim jus eſt: licet jus eſſe oporteat: cùm conſuetudo, quæ rationabilis non eſt, erroris ſit quædam vetuſtas. *Si quid bonum & utile fuerit*, inquit *Chryſoſtomus*; *etiamſi non ſit conſuetudo; fiat: ſin damnoſum & perniciosum eſt, etiamſi conſuetudo ſit; rejiciatur. Nam, ſi hoc admiſerimus, & fur, & adulter, & quantumvis malus alius, ad conſuetudinem provocabit.* Chryſ. in Geneſ. Homil. 56.

FINIS.

L. S.

L. S.

Dum meus Tractatus Juridicus, Lector Benevole, ſub prælo ſudaret, fortè per D. D. Studioſos mihi amiciſſimos, exhibitum fuit exemplar præfationis D. Mareſii, ad libellum pro Trapezitis, præpoſitæ, non antea à me viſum. Neque enim tantum otii mihi erat in Profeſſione meâ Juridicâ occupatiſſimo, ut in ſingulos libellos Calumniatorios, qui indies prodeunt, inquirerem. Quia tamen nonnulli ſuadebant aliquid eſſe reponendum, nudam defenſionem ei opponere fuit viſum, quam etiam huic meo libello unâ operâ adjicere decrevi. Tu interim Lector candide, etiam candidè de me meisque conatubus judicare perge, & in hâc appendiculâ meum candorem agnoſce. Cùm mihi perſuadeam, me nihil hîc meo adverſario objeciße, niſi quod verum, & neceſſitate defenſionis objiciendum eſſe exiſtumaverim.

Qui-

QUibus eſt mens proba, nihil publici juris faciunt, nihil Adverſariis objiciunt, quo eorum petulantia coërceatur, niſi quod verum eſſe, & ad neceſſariam facere defenſionem, probationibus luce meridianâ clarioribus, etiam Adverſariorum judicio evincunt. Verùm quibus animus eſt depravatus, non niſi per calumnias, ſcelerata mendacia, & innumeras contumelias, bonorum lateri famæ & exiſtimationis vulnus infligere conantur. Et, quia ſic volunt malevoli, horum nuda aſſertio, nullo ſubnixa fundamento, contra publica teſtimonia, ad inſtar oraculi Delphici fidem meretur. Quinimò, ſi quid proferant in odium proborum, vituperium pietatis, contemptum præciſitatis atque zeli, gratis oculis legitur, & non ſine titillatione recipitur. Boni ex adverſo, ſi in tales inſcribant, improbitati bellum indicant, licentiæ frenum injiciant, laxitati ponant obicem, nec patiantur homines in vitiorum ruere præcipitium; culpandi venient quàm maximè, etiam modis indigniſſimis perſtringendi. Mali, dum ſe prophanos, invidos, ſuperbos, maledicorum maledicentiſſimos oſtendunt, & de plauſtro in vi-

ros

ros probos convicia jaciunt ſine *menſurâ*, ſine modo, pii, placidi, humiles, *mites* cluent: quaſi tantùm ad ſui tuitionem omnia feciſſe videantur. Boni verò, qui per illos impetiti, ſi tantùm calumnias repellunt, mendacia detegunt, ligonem ligonem appellant, *videbuntur immites, iracundi, implacabiles.* Scilicet, qui ea, quæ vel per ſomnium cogitavit, dicit, objicit, & facit, excuſandus eſt: qui verò non patitur placidè ſibi omnia dici, objici & fieri, etiam cum gratiarum actione, reprehenſione dignus judicabitur. Ita bonis accidit, quod cuidam viro injuriarum patientiſſimo, *qui, quòd non integrum* corpus dedolandum *adverſario objeciſſet, ſed fortè* plagas aliquâ parte corporis, puta brachio excepiſſet, ab iniquo percuſſore injuriarum *fuit* accuſatus. Idem ludus nobiſcum luditur. Si enim ad injurias objectas nihil reponatur, licet tantùm objectæ, non probatæ; licet objectæ ab hominibus, in mendaciis & perfidiis ſæpiſſimè deprehenſis, pro veris recipiuntur ab iis, qui eas veras eſſe vellent, & nimiùm quantùm cuperent. Sin verò vel minimùm quis eas avertat, aut declinet, ad ſummum, defenſorem ſe pater; is Author eſt omnis rixæ, in eum

omnis

omnis culpa redundat: quia mali propulſator. Tantùm (proh dolor) jam valent depravati nonnullorum mores; ut, ſi bonis maledicatur, bonum factum ſit: ſi malis malè (quaſi de malis bona dici poſſent) maledictum eſſe cenſeatur. Neque aliam hujus vitii adverto cauſam, quàm quòd viri docti, qui gnatones, aut adulatores menſarii eſſe nolunt; quique ad peccata hominum connivere, cum ſectariis aliiſque novatoribus, qui fundamenta ſanæ ac ſobriæ, & rationalis Philoſophiæ ſubruunt, viam concordiæ aut neutralitatis & medietatis inire non didicerunt, omnes illos adverſarios nanciſcantur. Qui verò cum Dema, zeli deſertore, mundi delicias ac favorem ſectari nôrunt, adeoque ad hominum pravè facta ſilere, illis delinquentibus adblandiri, vitiis adhibere emplaſtrum, curamque palliativam, morum laxitati libertatem conſcientiæ prætendere; illi demùm verè docti, ſoli ſapient, ſoli qui inter eruditos primas agant, chorum ducant. Tantum valet opinio apud illos, qui ſuis opinionibus conformem nacti ſunt Doctorem; qui vel ad quoſvis conſcientiæ caſus, non ſecundùm conſcientiam, non congruenter myſteriis Fidei ſibi concreditis, ſed

quò

quò fert odium, & unâ operâ trahit hominum quorundam favor, allicit doloſi ſpes lucri, paratus eſt reſpondere.

Et, ne longiùs abeam, horum omnium exemplum dabit celeberrimus *Samuel Mareſius*; vir ſi quiſquam Theologorum, (Pudet, quòd dedecoret illum ſacrum ordinem) ad calumniandum conſummatiſſimus. Quem natione Pickardum, ſi potiùs dixero **De Picker**/ non aberravero. Adeò enim inſultat fratribus ſymmyſtis; adeò per fraudes, fallacias, deceptiones & mendacia, amicitiam offert vocabulis modeſtioribus: & tamen unâ eâdemque pagellâ, ne dicam unâ eâdemque periodo, ſpirat inimicitias; ut indicet, *ſe pacis poculo*, non niſi veneno, & amarulentiæ ſucco infectum liquorem propinare. Ut cordatis, (niſi, qui *id videre nolunt*, quòd ille eorum vitiis medelam paret) oſtendat, ſe patrem mendaciorum imitari, calumniatorum principem, omneſque illos, qui ante eum iſtius artis gnariſſimi, mille paraſangis ſuperare. Tot enim commenta, & adeò abſurda & inaudita, de reverendo meo Parente, viro pientiſſimo & innocentiſſimo (qui etiam teſtes vivos ſuæ pietatis & innocentiæ perpetuò circumtulit, & *etiam*-

num

num circumferi) ſuis ſcriptis inſeruit, quot unquam ab Adverſariis, aut Luthero, aut Calvino, ſunt objecta. Et, quod omnem ſuperat malitiam, poſtquam ea omnia à me detecta ſunt, & ad nauſeam uſque refutata, adeò præfractè illa reponit; ut oſtendat, etiam in ſcelere ſe conſtantiam adhibere voluiſſe. Verùm cogitandum erit, hoc ultimum refugium eſſe relictum bonæ cauſæ deſertoribus, malæque propugnatoribus; ut, ſi in quæſtionibus alicujus momenti ſe victos, à veritate ſuperatos, advertant, ejus odio fecialem ei mittant: Dein partium ſtudio relictis rebus, ad perſonalia ſe conferant. Scilicet, qui momentis rationum Adverſarios ſuos ſuperare non potuerunt, onere ac numero calumniarum ſe ſuperiores fore confidunt; quin imò ſuperant. Ita enim ſuperare, eſt ſuccumbere, eſt à malo ſuperari. Ita cedere adverſario contumelioſo, id demùm eſt victoriam reportare.

Hæc omnia nuperâ ſuâ PRÆFATIONE, tractatui, in gratiam *uſuræ trapeziticæ* à ſe conſcripto, præmiſsâ, abundè teſtatum fecit idem auctor. In quâ quid aliud agit, niſi ut illa mendacia in Rever. Parentem, in me emiſſa reponat, in quibus manife-

manifeſtè fuit deprehenſus; etiam illorum omnium calculo, qui vel teſtibus, vel teſtimoniis, vel jurijurando expurgationis, fidem adſcribere ſolent. Ut ſemet coram Deo & mundo ſceleratiſſimæ calumniæ reum faciat, dum præfractè contra ſcientiam & conſcientiam, reponit, Rev. Parentem, & meæ *Theologiæ naturalis reformatæ*, & *Primæ Philoſophiæ reformatæ*, noviſſimè editæ, *authorem* atque *editorem* eſſe. Quin imò eò temeritatis eſt delapſus, ut id ſe luculenter demonſtráſſe dicat: quod tamen non demonſtravit, aut probabit unquam. Niſi cenſeat, ſe poſſe ex veris præmiſſis rectè concludentibus id elicere, quod falſum eſt. Miſceat ille cœlum terræ, miſceat & cumulet ille mendacia mendaciis, quotquot voluerit; nunquam tamen id effectum dabit, ut, quod publicè me dictâſſe, dein ſcripſiſſe, (uti nôrunt quotquot hîc degunt, vel me publicè profitentem audiverunt) non à me dictatum, aut dictum, aut ſcriptum ſit.

Neque ego, licet ſe in Rev. meum Parentem reſcripturum minetur, unquam patiar, illa opera, quæ mea ſunt, meque *ſolum authorem* habent, non genuino authori adſcribi. Non minùs, quàm ille ſuos

libe-

liberos ſibi eripi patietur. Minètur ille quantumvis volet; non magis tamen morabor ejus ſcripta, quàm metuam larvas, aut ſpectra, aut lamiæ turres. Præcedat more ſolito, ſequar ego preſſim: ſed aliâ methodo, alio affectu, id eſt, non animo calumniandi, ſed veritatis protegendæ gratiâ.

Non equidem ægrè fero, mea opera Rever. Parenti meo, editionum & evulgationum omnium etiam vel minimæ lineolæ, quæ iis continentur operibus, ignaro, adſcribi. Id enim mihi laudi duco, (quòd, etiam Præfatione *Primæ Philoſophiæ Reformatæ* præfixâ indicavi) qui eos formare potuero conceptus, quos à Theologo profectos cenſet meus Adverſarius. Hoc enim mihi ſuffecerit, quòd hîc Ultrajecti, ubi publicam profeſſionem Metaphyſicam ac Pneumatologicam per aliquot annos ſum tutatus, vel centenos habeam teſtes meorum conatuum, qui uno ore aſfirmant, *Mareſium* eſſe maledicum, ma„leſanum, qui exteris imponere ſatagat; „ hæc mea non eſſe quæ libris à me emiſſis „ continentur. Ut qui omnes illos conceptus publicè à me ex tempore dictatos, idque ſtylo extemporaneo, etiam longè

plures & accuratiores audiverunt, etiam exceperunt. Quò magis ſuam apud omnes bonos hic decoxit exiſtimationem, qui crimine ex uno de cæteris faciunt judicium, & in hoc manifeſto mendacio deprehenſo, in aliis ejuſdem commatis fidem detrahunt. *Veruntamen id potiſſimùm* me movit, quòd *D. Mareſius* hâc arreptâ occaſione Parentem meum novis litibus implicet, meque eò adigere conetur, ut inpoſterùm mihi ſilentium imponam. Præſertim, cùm hoc ipſum à meo animo impetrare nequeam, ut adverſùs eum, qui Rev. Parentem innumeris de novo gravat calumniis, dicteriis petit, non ſim uſurus juſtâ & moderatâ defenſione. Quî *enim po*tero, aut ferre debebo, ut impudentia degeneris cujuſdam Galli, qui ſolitus ubiq; mel & acetum infundere, *illi ſit impunita*, noſtrumque ſilentium, etiam eo provocante, nobis ſit præjudicio. Quaſi, qui ad objecta ſilet crimina, pro confeſſo, adeoque pro condemnato ſit habendus. Et licet *D. Mareſius*, me ſibi nolit *Adverſarium*, vel quia more ſolito eos contemnit, à quibus ſe victum experitur; vel quia Rev. Parentem maluit adverſarium; quòd glorioſum ducat, talis viri ſcriptis ſuperari.

Inſu-

„Inſuper eò impietatis devenerit, ut aperto „ ore alicui dixerit, ſe in *ſolum Voetium*, „ licet omnium ignarum, quæ in illum e„ mittuntur, calamum chartæ admotu„ rum; ut vel hinc liqueat, quo animo ad „ ſcribendum accedat. Non tamen ideo ab incæpto deſiſtam; cùm ipſum reverâ, etiam multoties, uti id abundè oſtendi in meâ *Præfatione* ad *Primam Philoſ.*, & propalam & per conſequentiam expertus ſim adverſarium, etiam virulentum ſatis. Ut nihili faciam ipſius in me dicteria, præſertim vituperia, quibus meos conatus depreſſos vellet. Neque enim illius ſolius judicio ſtabitur; ut qui præ odio & invidiâ, utilia multa, quæ mea exhibet *Theologia Naturalis*, ut & *Prima Philoſophia*, aut nolit, aut nequeat agnoſcere, licet alii ea percipiant, atque collaudent. Sim illi adoleſcens, ſim adoleſcentulus, qui jam per eam ætatem, & Metaphyſicam, & dein Juridicam publicè Ultrajecti in Academiâ florentiſſimâ, Groninganâ ordine priori, ſuſtinui profeſſionem, quæ plenam faceret pubertatem. Certè, ſi nihil ſolidæ eruditionis, de me viro exſpectare voluit, quid tandem boni ſperandum de ipſius pueris, aut puerulis, (loquar jam ad imi-

rationem phraſiologiæ *Mareſianæ*) ranaceo genere è putido illo lacu Mareſiano (id enim Gallicè ſonat nomen *Des Marets*) prodeuntibus, jamque & actuali miniſterio fungentibus. Niſi quòd pulli iſtius Galli, non cybeles, ſed gallinacei, eâ, quà ſunt ætate, *maturi ad quævis munera publica ſint habiti*, quia ita voluit ipſorum parens: ego verò, quia Belga, licet eâ ætate, quâ, quia *præciſus* non ſum, (ſic enim loquitur de me Mareſius) illorum puerorum potuiſſem eſſe parens, illi videar ad opera quæ hactenus edidi, evulganda minùs aptus.

Aſt nugarum ſatis eſt. Id mihi ſuffecerit, quòd vel meorum conatuum adſtipulatores habeam magni nominis Theologos, qui etiam gratias retulerunt, quòd haut contemnendam operam Theologiæ ac Philoſophiæ ſtudioſis hactenùs navavero, meiſque libris editis in multis viam expeditam reddidero ad Theologiæ penetralia contendentibus. Ut hic meritò dixero, quòd alibi *Cicero*: *ubi rerum teſtimonia adſunt, non opus eſſe verbis*. Et, ubi orbi litterato meos conceptus examinandos propono ibi parùm curari, quid hic aut ille Zoïlus, invidiæ ſucco turgidus, oggannibat.

at. Philoſophus contra motum argumentantem adverſarium, audiebat placidè & ambulando eundem refutabat. Eum ſequar morem, & ſcriptis & opere, id eſt re ipsâ indicium faciam eorum, quorum me indignum ſuum famulum participem facere voluit benignè, omnis Sapientiæ Fons & Largitor unicus. Et, licet in operibus à me editis memet poſſem efferre, nonnullorum laudibus erectus: malui tamen illas cogitationes, quę me elevarent, deprimere, nec quicquam magnificum de me ſentire. Neque enim imitabor D. Mareſium, cui ſoli μετὰ πολλῆς φαντασίας, licitum eſt *inaugurali oratione* Groningæ habitâ gloriari, ut & in hiſtoriâ ſuæ vitæ, de ſuâ ad Profeſſionem maturâ, ſed (proh dolor!) Eccleſiæ damno immaturâ, promotione, de ſcriptis à ſe editis, de repertis à ſe noviter, de familiâ lautâ & amplâ, de bonis patrimonialibus, de ſtudiis propriis ſumptibus factis, de favore & gratiâ Magnatum, præſertim Principum Arauſionenſium, quos ſibi habuit faventeis, & quæ non animi elati plura ſunt indicia. Belgis enim craſſis, obtuſis, bardis, hæc non convenirent; quòd gnatones agere non didicerint, aut ſciant Magnatum favores captare, licet ad poten-

tiores illis ſæpiſſimè fuerit aditus, etiam viderint multorum mores & urbes. Quid, ſi ad exemplum ejuſdem me potentioribus nonnullis acceptum fuiſſe, jactarem? Si Rever. meum Parentem Principi *Mauritio* gratiſſimum fuiſſe, deprædicarem, & ad colloquium familiare ſæpe admiſſum: nonnunquam bono Eccleſiæ, cum celſiſſimo *Frederico Henrico* ſermones miſcuiſſe: à Celſiſſimâ Principe *Æmilia*, Heuſdâ ad caſtra, Ultrajecto Buram, evocatum fuiſſe per Eccleſiæ miniſtros; quòd Parentis concionibus apprimè delectaretur. Inſuper Belgas eundem magni ſemper feciſſe; ſic ut à celeberrimis in Belgio Eccleſiis Dordracenâ, Hagæcomitanâ, Mediobutgenſi, Roterodamenſi, aliiſque fuerit vel tentatus, vel in formâ vocatus. Annon nos inſanire diceret *D. Mareſius?* noſque elatos ac ſuperbos judicaret, licet illa omnia vera ſint? nec tamen ipſe cenſebitur vituperio dignus, etſi ubique inflatus, & propriarum laudum ſolitarius ebuccinator ſit?

Verùm propero ad PRÆFATIONEM MARESIANAM, in quâ ne quidem contentus fuit Rev. Parentem, meque duris modis tractâſſe, niſi etiam in Prædeceſſori-

ceſſoribus noſtris per fabulas ad inſtar Fabulæ Burdonum nos impeteret; adeoque neſcio quibus commentis familiam noſtram honeſtam obſcuratam vellet. Haud abſimilis Romano cuidam Imperatori, qui omnem Genealogiarum memoriam abolitam deſiderabat, ut interim ſuæ familiæ obſcura nomina tegeret. Nolim jam hîc gloriari, aut noſtram familiam in cujuſquam contemptum efferre. Mihi id laudi duco, quòd tali Parente prognatus ſim, quem ſeculum præſens, quem poſteritas virum agnoſcet, cujuſque *memoria* (utar phraſi Rabbinorum) *futura eſt in benedictionem*. Id verò meo Parenti ſufficere poterit, quòd ſuâ virtute inclaruerit, adeoque bonis non aliunde quæſitis; quòdque nullius improbi facti, aut turpitudinis „ ſibi ſit conſcius. Hæc ſunt illa bona, „ quæ (ex mente ſenis *Epicteti*) ſunt in no„ bis; quæque nos faciunt bonos. Ut fruſtrà quis ſeſe elêvet in iis, quæ ipſius non ſunt, qualia ſunt genus & divitiæ, ut quæ extra illum poſita. Et mallet Rev. Parens pectoris ingeniique bonis eſſe celebris, quã ut eſſet degener filius ſui prædeceſſoris. Ut Mareſio illud *Ciceronis* modò gene„ re clarus fuiſſet, objicere potuiſſet: optare

ſe, ut à ſe inciperet nominis *ſplendor*, quàm ut in ſe deſineret.

Verùm, ut ad fabulas D. Mareſii aliquid reponam, id illi dictum velim, *Voetiorum* familiam prænobilem & antiquam eſſe, & in ditione Epiſcopali Monaſterienſi ſatis celebrem, licet *ibidem hôc tempore nulli* ampliùs ejus nominis ſint ſuperſtites. Ex illá tamen *Henricum* vel ante ſeſquiſeculum, in Brabantię tractum ſe contuliſſe, & in agro Heuſdano ſedem fixiſſe; adeoque Voetiorum familiam ab immemoriali tempore ibidem floruiſſe. Ut ſe falſum & in cæteris adjectis commentis impurum *calumniatorem* oſtendat Mareſius, dum *Voetii nominis conditorem facit* Rever. Parentis prædeceſſorem. Quinimò longâ ſerie enumerare poterit meus Parens ſuos Prædeceſſores, qui, bonis patrimonialibus & avitis agriſque civitatem Heuſdam circumjacentibus abundantęs, ſemet exhibuerunt honeſtè. Quinimò ipſum Rever. Parentis patrem, etiam eo tempore, quo nullâ urgente neceſſitate, verùm ut tutiùs prædia ſua adiret, militiæ nomen dabat, plus habuiſſe in bonis, quàm Mareſius, aut ejus parens, quem adeò elevat, unquam habuit in patrimonio, pro

pro comperto habemus. Non enim ille noſter Avus quem ille vituperat, jugera, ſed integra habuit prædia, ante Heuſdanam portam ſita. Non ille dominus cujuſdam prædioli, empti fortè quadringentis aureis, (id enim in Galliis frequens eſſe, mihi retulit nobilis Gallus, & ditio Groningana illud ſatis docet) ſed *prædiorum* potuiſſet appellari; ſi non maluiſſet reditibus, quàm cognomento, gaudere. Licet non negaverim, poſtmodùm belli neceſſitate eundem coactum fuiſſe agros ſuos, contracto ære alieno, hypothecæ ſupponere. Neque enim artes ullas Mechanicas addidicerat, aut vile miniſterium alicui præbere. Sed propriis hactenus vixerat reditibus, civemque diu egerat Heuſdanum. Undè etiam ejuſdem patrimonium maximâ ex parte, gubernante Iſelſteinio, exhauſtum fuiſſe pomariis ejus eradicatis, & infructuoſis redditis, procurante *Iſelſteinio*, civibus infenſo, idque ſub prætextu publicæ utilitatis, perplurimi teſtatum fecerunt. Quinimò, civitatis muris ampliatis, ædificia, & agri, qui extra portam ſiti, intra muros incluſi fuerunt, nullâ hæredibus damni dati factâ reparatione. Niſi quòd, Heuſdana civitas, (idque æ-

 quum

quum erat & juri conveniens) amiſſorum bonorum contemplatione, ad ſtudia, minorem ejus natu filium, Rever. meum Parentem applicuerit, ejuſdemque curam *in* ſe ſuſceperit, eumque ad collegium Leidenſe miſerit.

Hæc eſt illa *Hiſtoria, quam non ego mihi* ipſe *fabricavi*, non ſeſquipedalibus verbis ad oſtentationem adhibitis, propoſui, ſed nudâ & ſimplici verâque narratione. Nobis enim ſufficit eſſe bonis, & benè natis, & bonis prognatis: neque quenquam fuiſſe de familiâ Voetiorum, quorum nos pudere debeat. Et ita poterit meus Parens avum & proavum, & alios ciêre, etiam honeſtè, etiam ex parte matris, eos, *qui gratiâ Religionis propter tyrannidem Hiſpanicam* in exilium *pulſi*, bonis omnibus exuti fuère: quales *Jagelingii*, qui, poſtquam *Sylvæ-Ducis virum* Reformatæ Religionis de noctu è carcere liberâſſent, fugientes, alius in Cliviam, alius Bredam ſe contulere. Ibidemque à Guilielmo Arauſ. Principe receptus maternus patris avus, Armamentario bellico fuit præfectus. Hæc omnia vera eſſe, protocolla Notariorum, hæc publica monimenta, hæc relationes eorum, qui decrepiti, hæc martyrologia Bel-

gica

gica abundè docuerunt: Ut in noſtrâ ſo-
lius affirmatione veritas hiſtoriæ ſita non
ſit. Verùm, ſi fortè D. Mareſius pari mo-
do ſuos Prædeceſſores enumerare potuiſ-
ſet, ſi patrimonium amplum, ſi reditus,
quibus ſe ſuoſque ſuſtentâſſent, ſi aliquam
antiquitatem, ſi nobilitatem; quid non pro-
tuliſſet, quàm non illa inflatis buccis ebuc-
cinâſſet? Indicio eſt illius vitæ & familiæ
ſuæ *hiſtoria*, quàm adeò artificioſè conte-
xuit & amplificavit, ne quid abſurdi
continere videretur, aut circumſtantiæ
non ſatis cohærerent; ut potiùs laudatio,
ſeu *panegyrica oratio* eſſe videatur, quàm
hiſtorica quæpiam narratio. Neque quiſ-
quam Profeſſorum Groninganorum adeò
prolixè aut pompaticè ſuæ vitæ hiſtori-
am conſcripſit, (licet inter illos & melio-
ribus ſint prognati) quàm ille. Neque e-
nim eam tam conſcripſit, quàm fabrica-
vit de induſtriâ, more exteris & peregri-
nis non inſueto: qui, quotquot noſtras
terras adeunt, ſe neſcio quibus prognatos
jactitant. Quæ enim à nobis remota, tan-
quam ex magni loci intervallo vix cernun-
tur; ut facilè quid hauriant de fabulis.
Quinimò alibi nati patrios lares crepant,
patria bona deprædicant; licet fortè in tu-
 guriolo

guriolo propè colliculum, vel propè lacum aut paludem nati: unde vel Collini nomen, vel Paludani mutuabuntur. Quod an non *des Maretz*, id eſt *de Palude*, dici poterit, jam non examino. Neque enim tantum mihi otii abs re meâ, ut in illa, quæ *nihili* facio, inquirere velim, aut cupiam. Meliùs me nôrunt, & illius nôrunt progeniem ejus contribuli & ſympatriotæ, qui fortè ejus vitæ hiſtoriam refutabunt, etiam libellis in illum emiſſis in nonnullis factis eam notârunt. Id tamen mihi ſit probabile, hominem obſcuro genere natum eſſe; utpote qui, cùm ex muſcâ faciat elephantum, & adeò honorificè loquatur de ſuo parente, *quaſi in Galliâ* primas obtinuiſſet, & quidem Notario Regio, nondùm tamen Apoſtolico, quales ſub rege Hiſpaniæ omnes noſtri Notarii, nullam ſui *proavi* facit mentionem, ne quidem eo nominato: Avum verò hôc elogio recenſet, quòd ſit honeſtus & opulentus. Ut eum αὐτόχθονα fuiſſe, vel terræ filium, meritò ſuſpicari liceat. Cùm enim paria in jure cenſeantur, non eſſe, & non apparere, ſaltem hæc illi paria ſint, qui adeò ſpecioſè vel minutias in ſuâ vitæ hiſtoriâ delineavit; non certè ille præteriiſſet;

quæ

quæ vel minimùm ad nominis celebritatem conferre poſſent, ut jam proavos, & deinceps ordine recenſuiſſet ſuos Prædeceſſores, niſi obſcurâ quâ nocte ſepulti fuiſſent.

Sed ſtulto (ut utar verbis *Salomonis*) reſpondi, quantùm ſatis eſt, ſecundum ſtultitiam. Ad alia propero, dictâ *Præfatione* cenſurâ digna. Ait Vener. meum Parentem promiſiſſe Synodo, aut D D. Deputatis, *nec ſe, nec quenquam alium*, quem fortè Mareſius injuriâ affecerat, quicquam in lucem eſſe editurum adverſus illum. Hîc iterùm cogor illi viro calumniæ & mendacii dicam ſcribere. Ille ſemet expurget, proferat acta Synodica, quibus antehac parens tale quid fuerit pollicitus? Hoc quia provocatus non præſtat, mendacii reus habebitur. Dein & me in calumniâ deprehenſum eſſe aſſerit; quòd dixerim, eum ſtatuere *Eſſentiam in divinis gigni & gignere*; adeoque me ideò illud ipſum ſilentio præteriviſſe. Sed bonus ille vir triumphum canit ante victoriam. Judicium ille ferre voluit de meâ *Primâ Philoſophiâ Reformatâ*, parenti eam adſcribendo; quam tamen non probè inſpexit. Ibi enim in *cap. de Principio*, ſuam ſententiam (quam eum, ſi non pro-

palam, ſaltem per conſequentiam, tenuiſſe ibidem luculenter probavi) ex profeſſo examinatam & refutatam reperiet: Imposterùm igitur priùs evolvat ea, quibus ſe opponit, antequam in adverſarii ſilentio ullum ſperet *ſuæ malitiæ præſidium*.
„ Ex mente *Juriſconſultorum*, nonniſi to„ tâ lege inſpectâ, de eâ ferendum judicium; neque mea cenſurâ notandá, niſi ſingula probè fuerint examinata.

Inſuper mihi objicit, quòd in hiſtoria Jlluſtrium *Brederodiorum*, in *neſcio quo capite hiſtorico, ad palinodiam honeſtam* fuerim adactus. Id ſi ex relatu aliorum habeat, ſe levem & vanum oſtendit, & hoc ſibi per calumniam *impoſitum ſciat*; ut vel in hôc ipſo facto, niſi id retractet, pro calumniatore ſit habendus. Præterquàm, quŏd id *mihi dedecori non verteretur, ſi* in aliquo facto hiſtorico (quod tamen hîc non accidit) aberrâſſem: cum facta etiam ipſos fallant prudentiſſimos. Ille potiùs culpandus erit, qui toties, non tantùm in factis, ſed & in jure Theologico aberrat; ut meliori jure libros *retractationum* edere deberet, quàm confirmationum abſurdiſſimarum ſententiarum. Mihi ſi liceret conjecturis & relationibus aliorum fidem

adhi-

adhibere, poſſem & hoc referre ex relatu eorum, qui ipſi collegiis Canonicorum interfuerunt, cùm de illius libello pro *D. D. Canonicis* ageretur, in diverſas itum fuiſſe ſententias, aliis ſtatuentibus nihil illi pro labore ſuſcepto deberi, neque ex communi ærario quicquam conferendum eſſe: illos, qui eum ad hoc opuſculum conſcribendum inſtigaſſent, id ſuo periculo feciſſe: tandem ſuffragiis potioribus concluſum fuiſſe, ut ei honorarii vice *mille aurei* mitterentur. Verebantur autem nonnulli, eum ad inſtar Franciſcanorum hoc munus fuiſſe repudiaturum, imò indies exſpectabant, & quidem avidè nonnulli, eſſetne per eundem tabularium oblatum munus remiſſurus. Parùm erant memores illi viri eximii, D. Mareſium in hiſce Provinciis ſuum patrimonium ferè conſumſiſſe; adeoque aliunde quærendum, quò id suppleatur.

Verùm reponet D. Mareſius, ſe non quidem pretio conductum ad ſcribendum acceſſiſſe, ſed honorarii vice, quòd opuſculum D D. Canonicis inſcripſiſſet, aliquid oblatum fuiſſe, etiam acceptatum. Scilicet, tale meritus eſt præmium propter oblationem ejus libelli, quem vel mediocriter

diocriter doctus, intra unius atque alterius hebdomadæ ſpatium, compilâſſet. Eundem enim meum *centonem* meritò dixero, argumentis ex D. Schoockii libro pro D D. Canon. & objectionibus Rever. Parentis ſuper causâ Canonicorum collectis. Ut nec *ullam rationem in ejus libello* reperire liceat, (vel unam demonſtret, ſi potis eſt) quam non in ſuo per modum objectionis Rev. Parens præformaverit & refutaverit abundè. Quinimò, ſi lucro velim eſſe intentus, vel me plures, & æquè graves rationes pro illâ causâ in medium allaturum conſiderem, *quàm* quidem illo ſuo libello *complexus* eſt Mareſius. Et tamen eas *ipſas cum Mareſianis*, tam facilè mihi *foret refutare*, quàm vulpes pyrum *comeſt*. Sed inutilem illum laborem nec *ego*, nec alius quis aſſumſerit, ne actum agere videretur. Oſtendit id ſatis nuper anonymus in ſuo *Convicto Canonico*: ubi Mareſium nihil propoſuiſſe, quod non abundè vel D. Schoockius dixerit, & Parens in ſuo libro refutaverit, ad oculum demonſtravit; ut certè Mareſius *Teſtium nubem* non diſpulerit, ſed illuſtraverit magis, id eſt illâ ſuâ defenſione cauſam Canonicorum prodiderit, ſi non perdide-

diderit. Hoc judicant extra partes conſtituti, hoc judicabit poſteritas. Et tamen adeò ſibi placet gloriæ cupidum animal, ut hunc ſuum libellum comparet *meæ Theologiæ Naturali*, tanquam aliquod inſigne ſcriptum alicujus centoni. Neſcit ille, vel ſcire non vult, quid *cento* ſit, fortè non centenario, ſed millenario aureorum fulgidorum numero, non ſatis illuminatus. Ille ſuo libello nonniſi ab aliis præformatos edidit conceptus: ego illo meo peculiares conceptus, qui ejus ſuperant captum, protuli: quoſque nec ille, nec illius admiratores mihi fabricaverint, licet eos nihili faciat.

Id tamen in tranſitu ad ipſius libellum indicare volui, me mirari non ſatis poſſe hominis ſuperbiam cum impudenti mendacio conjunctam: dum refert, *ſe à primario Provinciæ noſtræ membro idoneum fuiſſe judicatum, qui id à contumeliis Voetii vindicaret.* Principio enim oportuit mendacem eſſe memorem, ne ſecum diſſideret, ſi ſapiens haberi voluiſſet. Dixerat enim in initio ſui libelli, etiam in hâc ipsâ Præfatione, ſe nullius odio, neque in quenquam, nec etiam in Voetium ſcripſiſſe, ſed tantùm ſe rogatum in conſcien-

tiâ coram Deo ad caſum conſcientiæ ſibi propoſitum reſpondiſſe. Ideoque nec Voetium apud Synodum prætexere potuiſſe, ſibi datam fuiſſe à Mareſio reſcribendi occaſionem, etſi pro Canonicis libellum edidiſſet. Ut hîc temerè homo, licet aliàs verſipellis, ſemet prodat, quaque intentione, quoque fine ſcripſerit, manifeſtet ſatis, puta, ut *à contumeliis Voetii* (ſic loquitur) *vindicaret Canonicos*. Scilicet, ſecundùm conſcientiam Mareſianam caſus Theologicus rectè deciditur, modò contra Voetium decidatur. Quemadmodùm non alium in finem pro *Trapezitis*, *uſurariis* manifeſtis, ſe caſum decidiſſe, eo ipſo teſtatum facit, quòd hanc ſententiam contra Trapezitas Voetio nominatim & præcipuè, quaſi ejus ſolius, & non communis Reformatorum ea foret, adſcribat.

Accedit inſuper, quòd nunquam à primo Ordinum membro D. Mareſius dignus judicatus fuerit ad defenſionem Canonicorum, ſed à nonnullis Canonicis ad eum miſſis, non etiam unanimi omnium conſenſu. Id enim factum non fuiſſe, maluiſſent inter illos viri primarii, nobiliſſimi, Ultrajectini, non peregrini, non obſcurè nati: quod tamen de multis affirma-

ri poſ-

ri poſſet. Ut fruſtrà in hôc glorietur D. Mareſius contra veritatem manifeſtam, quòd à *DD. Electis*, qui hîc primum ordinum membrum conſtituunt, fuerit electus.

Sed quia hîc mentio injecta *DD. Canonicorum*. Non poſſum non in tranſitu ſignificare, dum hæc mea cuditur Apologia, in manus meas incidiſſe D. Profeſſoris *Schoockii*, virulentam quam Præfationem *exercitationibus ejus Theologicis*, id eſt novæ & inauditæ inter Reformatos Caſuiſticæ, præmiſſam. De quibus quid boni, quid ſinceri, ſperandum ſit, operis præfulgidi antipagmentum ſatis indicat. Homo quippe vanus & varius, in nullo ſibi conſtans, centenis mendaciis in bonos emiſſis, (hoc nôrunt Ultrajectini) quorum ipſum patrem mendaciorum puderet, illam ſuam Præfationem exornare voluit: additâ pollicitatione, ſe *trecenta mendacia* è Rever. mei Parentis ſcripto, cui titulus: *Teſtium nubes*, &c. excerpturum. Ut, ſi quis ſingulorum dicteriorum, quæ ibidem continentur, inſtitueret accuratum examen, initium fortè, non tamen finem reperire poſſet.

Quotquot enim illum probè nôrunt, e-

um fertilem eſſe promiſſorum, ac maledictorum profuſum nimiùm, certò nôrunt. More enim eorum, qui de plauſtro in quoſvis prætereuntes convicia jaciunt, nullum ordinem intactum relinquit. *Tum* involat in Conſiliarios Curiæ Trajectinæ, ut fraudulentos: *tum* Scabinos urbis iniquitatis incuſat; *tum* nobilitatem factionis ſuſpicione gravat: *tum* Patriæ ingratitudinis notam inurit; quòd illum, id eſt virtutum omnium Theologicarum compendium, Theologiæ profeſsioni non admoverit. Quinimò Theologos omnes Anglos, ne exteris parceret, ſallè perſtringit: eorum concionandi methodum ut peſsimam explodit: eamque *viam* ſternere ad Enthuſiaſmum, ſe probaturum promittit. Omnes inſuper Concionatores *Belgas*, qui praxin Pietatis ſectantur, eamque populo pro concionibus proponunt, notatis eorum formulis, ſannis exſibilat. Et, ne tantùm hominum, ſed & Dei videatur irriſor, omnem ſinceram pietatem, devotionem, vitæ ſanctimoniam, diei Dominici exactam obſervationem, ridet, & neſcio quibus commentis, & judaicis ſuperſtitionibus, vel potiùs anilibus fabulis adnumerat. Imprimis parcere

re non debuit Rever. meo Parenti: quem ideo, ut omnis præciſitatis autorem, diabolicis calumniis ac mendaciis obruit. Omnia, quæ à me, aut ab aliis edita, etiam cujuſdam autoris libellum, cui titulus: *Convictus Canonicus*, eidem, ut genuino auctori, licet omnium eorum, quæ eduntur, ignaro, adſcribit. Ut ita per omnia, & in omnibus oſtendat, ſe antiquum obtinere, & nonniſi per inauditas calumnias, & mille contumelias, etiam per Judicia vindicandas, in viros bonos emiſſas, innoteſcere voluiſſe. Et certè, qui ne quidem à conjuge, quam in ſinu fovet, abſtinere potuit, quin eam elogiis hiſce exornaverit, quòd eſſet ipſi *vomica*, & *carcinoma*; (ſunt *D. Schoockii* verba, ex epiſtolâ quâdam ipſius deſumpta) quî ſeſe circa alios temperabit, licet de ſe bene meritos. Ut meritò judicaverint viri docti, homini Theologicè perjuro, adeoque famæ pertæſo, aliiſque ejuſdem commatis locuſtis, quæ indies ex puteo infernali prodeunt, nihil eſſe reponendum. Si quas enim materias vel Philoſophicas, vel Theologicas pertractâſſet, ut oportuit, eas ad Veritatis trutinam examinari potuiſſe. Jam, cùm præter ſcelerata & ſcurrilia commenta,

præter vanitates & ſarcaſmos *nihil ſit* complexus illâ ſuâ Præfatione: non calamo, ſed aliâ methodo illa ventilari debere. Unde, licet jamdudùm paratos habuiſſem varios libellos, ſingulis ipſius Satyris opponendos; malui eos ſupprimere, mihique temperare, ne inutilibus chartis & perſonalium quorundam abſterſione, Lectorem æquum obtunderem; neve adverſario inſano magis inſaniendi præberem occaſionem.

Verùm de diverticulo in viam.

Cætera quæ cumulat D. Mareſius ſuâ Præfatione, quo ſemet à perfidiâ liberet, „ parùm eum juvant. Dixerã, eum promi-„ ſiſſe per *D. Martinum* (*ſunt verba Synodi* „ Suyt-Hollandicæ de *anno* 1656. *Jul.* 18.) „ ſe non editurum illud opus, quod para-„ tum habebat, ſeque impoſterùm ſilentio „ litaturum, niſi nova occaſio reſcriben-„ di illi oblata fuiſſet. Quid ille ad hæc? ſcilicet, ſe non edidiſſe illum libellum, quem tunc temporis in Voetium paratum habebat. Aſt nec hoc tantùm promiſerat, verùm etiam ſe impoſterùm nihil eſſe emiſſurum. Eo enim nomine gratiarum illam actionem à Patribus Synodicis emendicaverat, aut per fallacias impetraverat,

verat, idque illis verbis: **De Chriſtelicke Synodus verheugt haer aen d'eene ſyde / dat** D Mareſius **door den geeſt der ſachtmoedigheyt belooft heeft / en het geſchrevene in te houden / ende** in poſterum **te ruſten / ten ware hy merckelick getergt wierde.** Hic, licet alter Proteus eſſet, non ſemet expediret, perfidiæ crimini con-ſtrictus & implicatus. Verùm non mirum, quòd contra promiſſa. Synodo Suyt-Hollandicæ, ejus nomine per Rev. D. Richardum Martinum facta, tam manifeſtè veniat; cùm parùm curet Synodos, aut Synodicam auctoritatem, præſertim ſi contra ſe quid decernant, neque omnia ejus dicta, & facta per omnia probent. Sic enim ſatis acerbè perſtringit Synodum *Trajectinam*, ſuperiori anno 1656. habitam, (*p.* 2. *hujus præfat.*) quòd parùm honorificè de illo, quia benè de Rever. meo Parente fuerat locuta. Etiam in famam & auctoritatem DD. Deputatorum adeò petulanter graſſatur, quaſi illum Synodus, aliqua nationalis, univerſorum cenſorem conſtituiſſet. Verùm Reverendi illi Viri jam datâ ad Deputatos Groninganos epiſtolâ eum multiplicis calumniæ ac mendacii reum fecerunt. Et id ipſum, ſi adverſus eos inſani-

re pergat, publicis munimentis manifeſtum facient. Alibi tamen Synodos magni facere videtur, quinimò eas prætendit, ſi, licet per calumniam, præjudiciis Rev. Parentem onerare velit. Ita enim adverſus Rever. Parentem Synodi *Dordracenæ* decretum pro ſuâ ſententiâ *de objecto Prædeſtinationis* allegat. Quod tamen verum non eſſe, optimè novit meus Parens iſtius Synodi membrum perutile, quo tempore adhuc iſte homo in obſcuro jaceret.

,, Quæ verò poſtmodùm hîc ſubjun-
,, git, quòd Synodus *Suyd-Hollandica* la-
,, bòraverit circa coërcitionem *præciſita-*
,, *tum Voetianarum*, falſiſſimum eſt. Sed
,, verum eſt, Delphenſem Claſſem decre-
,, viſſe, ut in illos laxos, qui cultus diei
,, *Dominici* negligentes nimium, inqui-
,, reretur. Mera itidem calumnia eſt, quæ
,, de metu præciſitatis, neve ſtudioſi inci-
,, dant in ſectam Trementium, quos
,, Quaeckers appellant, protulit. Potiùs de ipſo metus eſt quammaximus, ne ad *Phariſaiſmum*, & ſectam *independentium* (non illam Anglicanam, quam ille vituperat, ſed ſibi peculiarem) ſtudioſos deducat, ut qui in omnibus, id

eſt

eſt vitâ licentioſâ, ſe-independentem in Claſſibus ac Synodis demonſtret. Hoc quidem vellet perſuaſum ſtudioſis, aut eorum Parentibus, quò Academiæ noſtræ incrementum ſiſteret. Verùm ea floret, Deo benedicente noſtros conatus, etiam ringentibus & invidentibus Adverſariis. Nec licet Rever. Parenti per verſiculum ſequentem

(*Voetius, odit, alit, fallit, defendit, adoptat*
Pacem, diſsidium, Patres, abſurda, malignos.)

quicquam velit detractum, quicquam proficiet. Si enim ſtudioſus ille *honeſtus*, (cujus mentionem injicit in ſua Præfat. & à quo ſibi miſſum eum verſiculum, ait (habet enim hic ſuos emiſſarios) honeſtus eſſe voluiſſet, potuiſſet, & ei in adverſum datum verſiculum unâ operâ transmiſiſſe, qui ſic ſonat:

Voetius, odit, alit, defendit, prodit, adoptat
Diſsidium, pacem, Patres, malefacta, benignos.

Et pòſt:

Dum Patres redamant Chriſti veracis alumnos,

Qui

Qui repetunt ſacros reditus, quos abſtulit Achan,
Conſcia mens nutrit, fallit, ſerit, urget, adoptat,
Invidiam, ſanos, lites, malefacta, malignos.

Aſt parùm illa curanda, quibus Adverſarius ſuam prodit maledicentiam, unâque operâ teſtatum facit, cauſam illam malam, nonniſi paſquillis, ſatyris, ſcurrilibus dictis, quibus ipſius ſplendet Præfatio, defenſitari. Et ex illâ fœtidâ palude non niſi ranas coaxantes prodire potuîſſe.

Plura non adjiciam, donec (quod ipſe in ſuâ promittit Præfatione) quoad ſingula meæ Præfationis ediderit examen: cùm, quæ in eum dixeram, adhuc ſuo loco immota conſiſtant. Quæ verò ſpectant Rever. Parentis prætenſas heterodoxias, quas ſe in lucem editurum jactat, ea parùm curamus: experietur enim paſſim in *diſpp. Rever. Parentis*, ſententias illas explicantis, quàm vanè & turpiter ſemet dederit, etiam ad riſum multorum, poſtquam ei placuit heterodoxiis annumerare, quòd Parens dixiſſet, *Pigmæos non eſſe homines. Dei abſolutam potentiam unius mundi*

di creatione exhauſtam non eſſe : ſeu, *Deum plures mundos per abſolutam potentiam condere poſſe. Uſuram Trapeziticam eſſe illicitam. Deum eſſe extra cœlum poſitivè*. Et quæ ſunt hujus generis plura alia. Polliceor autem me, ſi pergat, datâ occaſione alias & veras iſtius viri heterodoxias, ex ejuſdem ſcriptis minùs accuratis, licet ſtylo laxiori, quàm Theologum decet, eliciturum. Et inſuper manifeſtum facturum, quàm ille non ſemel ſcandali dederit occaſionem, idque non ſine piorum contriſtatione; adeoque non ſemel cenſuram Synodi, & Eccleſiarum in Galliâ, (quod ipſe in hiſtoriâ ſuæ vitæ haud occultè fatetur) incurriſſe. Ut, ſi poſtmodùm virorum pientiſſimorum zelum exſibilare pergat; omnes ſciant, aliter fieri non potuiſſe, quàm ut laxus & vanus Theologus iis omnibus bellum indicat, qui doctrinæ puritatem, morumque præciſitatem ſectantur.

FINIS.

BIBLIOT. ACADEM. LAUSAN.
LIBERTÉ ET PATRIE

Digitized by Google